Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Dissertatio theologica de oratione, a Petro apostolo, narrante Luca Act. II: 14-36, habita

https://hdl.handle.net/1874/338558

3.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

ORATIONE, A PETRO APOSTOLO, NARRANTE LUCA Act. II: 14-36, HABITA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

SIMONIS KARSTEN,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

PETRUS DIDERICUS SCHOUWSANTVOORT,

SYLVA-DUCENSIS,

SS. ANTISTES IN VICO BENNEKOM.

A. D. XXI M. DECEMBRIS A. MDCCCXLVI, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.
MDCCCXLVI.

OPTIMI PATRIS,

HERMANNI SANTVOORT,

DUM VIVEBAT, IN PRIMAE INSTANTIAE TRIBUNALI,
QUOD SYLVAE-DUCIS IN URBE ERAT,
JUDICIS,

PIIS MANIBUS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Tempore, quo Academiae valedicerem, ad finem vergente, plus una mihi erat causa, cur disquisitioni solenni ad gradum doctoralem petendum me submitterem. Hoc igitur facto pauloque post probationem Ecclesiasticam nactus, continuo manus movebam ad reliquum doctoratûs laborem persolvendum, conscribenda defendendaque dissertatione. Speciminis vero parte, quae nunc offertur fere absoluta, optimo Ecclesiae Gubernatori placuit locum mihi designare, ubi sacro, ardenter exspectato, muneri totum me dicare possem. Hoc autem aggressus, cito jam reperiebam muneris illius opera tanta et tam varia esse, ut de specimine scribendo primis temporibus non amplius esset cogitatio; quid? quod deinceps de proposito plane desperare coeperim, imo tandem consilium prorsus

misissem, nisi cum *alii*, tum *dilectissimus Promotor me instigassent, ut denuo operi manus admoverem illudque absolverem. His igitur aures praebens, chartas, jam per duos et quod excurrit annos in scriniis latentes, ex his evolvi et inspexi. Quod agens, sensim animadverti, plura hic illic addenda, haud pauca mutanda, novae elaborationi alia subjicienda esse. Conamina vero instituti, quoad* et *tempus* et *res meae* et *librorum acquirendorum opportunitas sinerent. Probe autem expertus sum, aliud quid esse dissertationem scribere, quum in Academia versaris, ubi* tum *omne tempus tali labori impendi potest*, tum *librorum copia, uti et magistrorum amicorumque monita et consilia, quotiescunque res flagitet, in promtu sunt; aliud in tali re versari, quum sacri muneris officiis fungeris; ne dicam propriam quandam molestiam habere absolutionem laboris, jam dudum incepti.*

Haec igitur rite teneat, si quis huicce specimini contingat, lector, ut benigne in his primitiis conniveat; causisque memoratis item tribuat, quod non accipiat disquisitionem, quam adjicere mihi ab initio in proposito fuit, ad Petrinae *orationis authentiam et gravitatem spectantem.*

Jam ita offerens quod praestare mihi licuit, et factum videns, quod fieri posse fere negassem, animus me jubet,

ut palam hîc gratias agam cum *Avunculo dilectissimo qui, optimo Patre defuncto, patris instar mihi fuit, uti et Socero carissimo, cui tanta me debere scio, nec non fautori amicissimo, ss. Antisti* Rheno-Trajectino, *in cujus domo per triennium versatus fui;* tum *aestumatissimis, quibus primum in Gymnasio* Rheno-Trajectino, *deinde in stadio Academico uti mihi licuit, praeceptoribus,* et *in disciplinis propaedeuticis* et *maxime in Theologicis. Nulla unquam oblivio ex memoria delebit, quae Vobis, VV. CC.* BOUMAN *et* ROYAARDS, *accepta refero, quippe qui non praeceptorum tantum, sed et amicorum officia nunquam non me erga praestare dignati sitis. Utroque nomine tales omnino mihi exstitistis, ut quamdiu vivam, Vestram institutionem Vestraque beneficia gratâ mente colere pium mihi erit officium. Te vero praesertim nunc compello, Clarissime Promotor! exoptatissime* VINKE! *Magna enim Tua erga me fuere merita,* sive *publicas tuas scholas et privatas collocutiones cogitem,* sive *domesticam familiaritatem, quâ frui mihi contigit. Dux mihi ad gravissimum munus exstitisti fidelissimus et amicus sincerrimus; talem in hunc usque diem Te expertus sum, et nunquam non te experturum firmiter confido. Tuis igitur discipulis annumerari semper gloriabor, Tua amicitia condecorari semper in summis vitae bonis collocabo. Gratias accipe sinceras, pro omnibus in*

me collatis beneficiis, etiam in conscribendo hoc specimine. Tibi collegisque tuis vitam incolumem servet Deus O. M. viresque Vobis largiatur, ut diu adhuc Academiae Rheno-Trajectinae Ecclesiaeque nostrae decora maneatis et ornamenta!

Summum Dei Numen vos quoque collustret, Amici dulcissimi! quorum amicitiâ integerrimâ in Academia versans gavisus sum et etiamnunc gaudeo. Sive in aliis humanitati consulitis, sive mecum Ecclesiae vires dicatis ad optimi Sospitatoris regnum provehendum, hoc scriptum nostrae amicitiae suavissimum conservetis monumentum, aereque perennius maneat vinculum, quod nos junxit. Valeatis; largiter bona in vos effundat supremus rerum humanarum Moderator; Cui per CHRISTUM *Patri benignissimo, et hujus laboris laus sit, gloria et honos, in aeternum!*

Scripsi in vico *Bennekom*,
die 7 mensis Decembris 1846.

INTROITUS.

Orationis a Petro Ap. habitae, ex Lucae narratione Act. II: 14-36, *opportunitas, consilium, ratio, effectus.*

Orationis laudatae interpretationi, quam hoc specimine exhibere conabimur, haec pauca de ejus *opportunitate, consilio, ratione, effectu* praemittere juvat.

Laetum de mittendo Spiritu Sancto promissum, Apostolis datum, antequam paternam domum reciperet, implevit Dominus Pentecostis die; et illustrissimo quidem regiaeque Ipsius dignitati prorsus convenienti modo, uti haec a Luca enarrantur, Act. II: 1-4; quo facto hoc jam die Dominus *τὸν μάρτυρα τὸν πιστὸν καὶ ἀληθινὸν* sese ostendit. Quid mirum, multos qui aderant Hierosolymis, in summam abreptos fuisse admirationem, et stupefactos exclamasse: *τί ἂν*

θέλοι τοῦτο εἶναι; Neque tamen desideratam efficacitatem in omnium animis haec mirabilia habebant. Etenim alii, invidentes probis illis viris, τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ celebrantibus, vel omnia haec vana atque inania habentes ob ἀπιστίαν, χλευάζοντες dicebant: ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί.

His auditis, Petrus σταθεὶς σὺν τοῖς ἕνδεκα, sancto impletus ardore, ἐπῆρε τὴν φωνὴν *tum* ad calumniam a se suisque avertendam, quam profecto non ferebat Apostolica dignitas, *tum* ad veram rei mirandae causam exponendam. Hunc igitur in finem gravissimam illam pulcerrimamque orationem habet, quam invenimus Actor. II: 14-36, maximam certe partem a Luca nobis servatam. Qua de re quantum Lucae debeamus, unicuique eam legenti et perpendenti luculenter in oculos incurrit. Cernitur enim in hac oratione, mira simplicitas cum summa dicendi vi conjuncta; cernitur in illa fides inconcussa Sospitatori habita; cernitur tandem animus flagrans ardore optimae rei vindicandae Christique honoris tuendi; nec minus eminent Apostoli verba maximâ prudentiâ summâque sapientiâ in convincendis adversariis horumque opinionibus redarguendis. Post solemne exordium incipit a refutandâ irrisorum calumniâ: quam tamen non nisi brevissime et simplicissime diluit, quo melius appareat accusationis inanitas, (Sect. 15). Deinde transit ad Joëlis vaticinium, ostenditque hoc ipso die illud eventu comprobari coepisse, (Sectt. 16-21); quo vaticinio afferendo quam egregie audientium, maximam partem Judaeorum, animos sibi conciliaret, illorumque attentionem moveret, quis est qui non videat?

Jam, inquit, tempus a Joële praesignificatum, adesse coepit; tempus illud, quo vis divina in omnis generis hominibus efficacissimam se ostendet; advenit regnum Messianum; nam Messias ille, a vobis exspectatus, Ipse ille est, *ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε.* — Quae fusius exponit a Sect. 22-36; et eâ quidem ratione, quae non poterat non unicuique persuadere, veritatis virtutisque sensu non plane destituto. Recenset omnia divinae, quae Jesu acciderint, probationis documenta, maxime summum illud celebrans, quod in Ejus *ἀναστάσει* positum est; dum continue omnem suam argumentationem vaticiniis, e V. T. ductis, superstruit, ad dicta sua de Messianâ Jesu dignitate comprobanda. Talibus de divino Magistro praedicatis, pluriumque jam animis summâ erga Jesum reverentiâ imbutis: „Hic est," inquit, *„ὃς ἐξέχεε τοῦτο, ὃ ὑμεῖς βλέπετε καὶ ἀκούετε*, (Sect 33). — *Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω κ. τ. λ.*, Sect 36.

Quibus Apostoli dictis, narrante Luca Sect. 37, ita perculsi fuerunt plurimi ex ejus auditoribus ut exclamarent: *Τί ποιήσομεν ἄνδρες ἀδελφοί*; Ad quam quaestionem quum Petrus respondisset: *μετανοήσατε, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος, κ. τ. λ.* Sectt. 38-40, plures ad Christi signa transierunt, sacraque lavatione tingi se passi sunt. Ita Petrus consilium suum assecutus est apud tria fere hominum millia, qui rei gravissimae testes oculati fuerant. Ita Christus praeclaram de inimicis suis, hoc ipso Pentecostes die, tulit victoriam, suaeque Ecclesiae fundamenta jecit. Sed haec

de opportunitate qua, de consilio, quo habita sit oratio, uti et de ejus ratione atque effectu jam sufficiant. Agedum ad ipsam ejus interpretationem nos accingamus.

ORATIONIS ILLUSTRATIO.

Incipit Apostolus a compellandis suis auditoribus; de qua compellatione igitur primum nobis est videndum.

AUDITORUM COMPELLATIO.

Solemni modo rem suam aggrediuntur Apostoli. Surgunt omnes de sede sua. Sic tanquam Christi sectatorum Coryphaei omnibus sese conspiciendos dant, simulque facto ebrietatis criminationem diluunt. Petrus jam, ceterorum nomine, verba facit, uti saepius èt in Evangeliis [1]), èt Act. V: 3, 29, Spirituque Sancto afflatus alta voce, Sect 14:

Ἄνδρες Ἰουδαῖοι, inquit, *καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰερουσαλὴμ ἅπαντες, τοῦτο ὑμῖν γνωστὸν ἔστω καὶ ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου·*

Per *ἄνδρες Ἰουδαῖοι* intelligendos esse *Judaeos, in Judaea natos*, non disputatur [2]). Contra vero valde dissentiunt interpretes, quinam significentur per *κατοικοῦντες Ἰερουσαλήμ*. Etenim Heumannus, Morus, Kuinoelius, Palmius, Olshausenus [3]), alii,

1) Vid. Matth. XVI: 16. Joh. VI: 68, 69.

2) Cf. Heumannus, Kuinoelius, Wettius.

3) ad Sect. 5.

appellationem sumunt de Judaeis peregrinis, qui, festi celebrandi causa, hoc tempore *Hierosolymis* aderant, adeoque per breve tantum tempus ea in urbe versabantur. Wolfius vero [1]), Heinrichsius et Wettius illam explicant de Judaeis origine peregrinis, qui, veteri sede relicta, id temporis *Hierosolymis* habitabant, et in posterum quoque habitare constituerant. Meijerus [2]) tandem utriusque generis Judaeos cogitandos esse censet. At Wolfii, Heinrichsii ac Wettii sententia tantum, quo se commendet prae utraque alia mihi quidem habere videtur, ut illi calculum non adjicere non possim. Propria enim verbo κατοικεῖν *habitationis* notio hoc suadet [3]); cujus notionis deserendae nostro loco nullam causam video, quamquam Hebr. גּוּר nunc per κατοικεῖν, nunc per παροικεῖν, *commorari*, vertatur. Dicuntur porro hi κατοικοῦντες, Sect. 5 ἄνδρες εὐλαβεῖς *pii viri*, Messiae adventum ardenter exspectantes; tales autem saepe consuevisse *Hierosolymas* adire, ibique vitae finem exspectare constat [4]); hoc enim modo sacrificia peragere poterant, quod alibi non licebat, festa solemniora ce-

---

1) In *Observatt. Phil. et Crit.*. ad Sect. 5.

2) H. A. W. Meyer, *Krit. Exeg. Comment.* 1835. Vid. ad Sect. 5.

3) Doct. L. Proes, in Diss. *de Pauli oratione, Antiochiae habita, Act.* XIII: 16-41, phrasin οἱ κατοικ. ἐν Ἰερουσ. Sect. 27 item vertisse per *incolas* Hieros. video, pag. 22.

4) Hoc statuit *cum* Heinrichsius ad Sect. 5, Simeonis, Stephani aliorumque exemplis hoc probans; *tum* Clar. Ruhnkenius in Dictatis Mss., ab aestumatissimo praeceptore Boumanno, V. Cl. mihi benevole in usum suppeditatis; e quibus deinceps, praecipua suis quaeque locis lectoribus impertiam, quibus ita me gratificaturum confido.

lebrare et coram videre, quid de populo Judaico, Messiam exspectante, ageretur. Nec minus, quam nos amplectimur, sententia eo fulcitur, quod Lucas ipse τοὺς κατοικοῦντας Sect. 5, distinguat ab ἐπιδημοῦσι Ῥωμαίοις, Sect. 10; opponens ita illos, qui sedem fixam constituerant his, qui ad tempus *Hierosolymis* degebant; quibus addi potest quod Sect. 9, κατοικοῦντες certe vertendum sit: *inhabitantes Mesopotamiam*, *Mesopotamiae incolae;* unde elucescit, quo significatu hoc verbum usurpaverit Lucas. His de causis equidem non dubito, quin nostro loco, per οἱ κατοικ. Ἰερουσ. innuat Apostolus ἄνδρας illos εὐλαβεῖς Sect. 5, qui ex longinquis et toto orbe dissitis regionibus oriundi, ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν, *Hierosolymas* antea se contulerant, ac fixam ibi sedem constituerant; quod tamen non impedit, quominus alios etiam peregrinos Judaeos, festi celebrandi causa in urbe commorantes, τοὺς ἐπιδήμους, Petri sermonem audivisse credas. Ceterum, qui hîc occurrit Nominativus cum Articulo intendit compellationem imperativam [1]).

ORATIONIS EXORDIUM.

Orationi jam habendae solemne exordium praemittit Apostolus ad designandum, scitu dignissimum,

---

1) Vid. Bernhardy, *Syntaxis* pag. 67; et Winerus, *Grammatik* Edit. 4 pag. 169, ubi docemur *Nominativi* cum *Articulo* pro *Vocativo* usum, *tum* apud Graecos, *tum* apud Hebraeos crebre inveniri.

gravissimum quid se cum auditoribus esse communicaturum; omnem iccirco attentionem requirens. Sic summi quoque antiqui Oratores causam suam instituebant [1]). — *Τοῦτο ὑμῖν γνωστὸν ἔστω, καὶ ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου.* De verbo minus usitato *ἐνωτίσασθε* ab *ἐνωτίζειν* nostro loco Mediâ formâ usurpato, Kuinoelius, auctoritate Vorstii aliorumque ductus, statuit, illud jam ante Alexandrinae versionis adornationem apud Graecos obtinuisse. Wolfius monet, eo jam usum fuisse auctorem libri *Sapientiae.* Morus vero aliique censent, Alexandrinos interpretes hoc vocabulum effinxisse ad exprimendam Hebraicam etymologiam. Sic confictum esset ex *ἐν* et *ὠτίον* (ab *οὖς*), prouti: הָאוֹזִין ab: אֹזֶן, quod illi plane respondet; diserteque addunt, nullum Graecum scriptorem illud usurpasse, quod affirmant Meijerus et Ruhnkenius [2]). Quidquid autem hujus rei est, hoc constat, Apostolorum tempore illud verbum ab Hellenistis Judaeis quotidiano usu tritum fuisse; mediâque, quae hîc obtinet formâ, significare: *in aures inserere, auribus attentis accipere.* Vult igitur sibi Petrus: „*Hoc vobis notum sit;*" ignorare non potestis, quae ego vobis annuntiabo; „*auribus igitur attentis verba mea „accipiatis.*"

---

1) v. c. Cicero *Oratio in Catil.* I; Cap. XI, ubi: »Percipite, »quaeso, diligenter quae dicam et ea penitus animis vestris mandate," et Virgilius, *Aeneid.* X: 104; »Accipite ergo animis atque haec »mea figite dicta." — Sic saepius etiam Homerus: Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν. Vid. Iliad. A, 297; Odyss. A, 453; P, 548.

2) Mss. laudd. ad l. Ceterum non nisi h. l. illud verbum in N. T. reperitur.

Quae jam insequitur Apostoli oratio in *duas* partes commode dividi potest; quarum *prior* decurrit a Sect. 15-21, qua ebrietatis criminatio diluitur, atque ostenditur, mirabilia, quae conspexerant auditores, indicio habenda esse, impleri coepisse Joëlis vaticinium; *altera* a Sectt. 22-36, qua Jesus *Nazarenus*, cruci affixus, sed redivivus et ad Dei dextram exaltatus, mirabilium auctor proponitur ac demonstratur. — Sed orationem persequamur:

PRIOR ORATIONIS PARS, *Sectt.* 15-21.

Οὐ γὰρ, inquit Petrus Sect. 15, *ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, οὗτοι μεθύουσιν· ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας.* Bis hîc occurrit vocabulum *γὰρ*; *priori* mihi cum Wettio, Meijero, aliis, incipere videtur Apostolus causam indicare, cur attentionem sibi postulet, ut adeo haec particula respondeat *τῷ ἀλλὰ*, Sect. 16, quacum arctissime connexa est prior Sectionis 15 pars, hoc modo: „Attendatis diligentissime: nam mi„rabilia, quae conspexistis, non ex ebrietate sunt »explicanda; sed ex Joëlis vaticinio, hoc ipso die „impleri coepto." — Negata simpliciter criminationis veritate, illius vanitatem ostendit altero sectionis membro, ubi particula *γὰρ* rationem indicat, cur ebrietatis criminatio nullam habere possit veritatis speciem. *Οὗτοι* mihi pertinere videtur ad undecim Apostolos, ideoque *δεικτικῶς* accipiendum. Recte animadvertit Kuinoelius: „Loquitur Apostolus tertia persona; „ipsum defendebat oratio sua;" quocum consentit Heinrichsius. Quod enim statuit Wettius ad h. l.:

„Er vertheidigt nicht sich und seine Collegen, son„dern die ändern Jünger; es scheint also, dass die „App. nicht in Zungen geredet haben;" nullis praesidiis hanc muniens sententiam, equidem non facile probaverim [1]). Nam, *primo*, ex Viro clar. petere liceat, quosnam ille intelligat per illos: *„ändern Jünger?"* Quo jure, *porro*, his solis τὸ ἑτέραις γλώσσαις λαλεῖν tribuendum sit? Undenam *tandem* efficiat Apostolos non ἐν γλώσσαις (*in Zungen*) locutos fuisse? Haec nisi idoneis argumentis tueatur Vir. cl., illius sententiae nullo modo subscribi posse mihi videtur. Sed habemus etiam quo illum refutemus, nostramque commendemus sententiam. Etenim *primo*, nostro capite de aliis discipulis, quique ἑτέραις γλώσσαις usi sint, nullus sermo injicitur; contra illud ἅπαντες Sect. 1, (coll. I: 26), de *Apostolis* accipi debet; quod confirmatur *tum* Sect. 7, ubi πάντες οἱ λαλοῦντες vocantur *Galilaei; tum* Sect. 14, ubi Petrus surgit σὺν τοῖς ἕνδεκα; *tum* Sect. 37, ubi τοὺς ἀκούσαντας sermonem dirigentes videmus ad τὸν Πέτρον καὶ τοὺς λοιποὺς ἀποστόλους. *Secundo* observamus, illud γλώσσαις ἑτέραις λαλεῖν, illustrissimum Spiritus S. effusionis documentum fuisse, vid. Sect. 4; jam vero haec effusio, singularis illa et uberrima, qualis eo die obtinuerat, non nisi *Apostolis* a Sospitatore promissa erat, Luc.

---

1) Wettio assentitur plur. Ven. P. van Dugteren, in diario *Godgel. Bijdr.* 1839, p. 715; cujus viri argumentis opponere liceat, *tum* quae hic contra Wettium monemus, *tum* quae a nobis dicentur de verbis ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, Sect 17; quibus nimirum sensum a nostro diversum tribuit laud. Vir, *et* pag. 715 *et* 699.

XXIV: 49; Joh. XIV, XV, XVI; Act. I: 5, 8. Quodsi *tertio*, consilium tenemus hujus Spiritus S. effusionis, in eo positum ut εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν ducerentur Apostoli, δύναμιν acciperent ad testificandum de Jesu e mortuis resuscitato, et fundamenta Ecclesiae Christianae jacerent; quid, quaeso, magis consentaneum, quam hoc illorum munus luculentissimis, divinitus missis, inaugurari documentis, omnibus conspicuis, quibus pateret, illos revera honorificentissimo huic muneri destinatos fuisse et adaptatos? Sed hinc sequitur, mirabilia haec, aeque ac cetera, ad solos pertinuisse Apostolos [1]); adeoque alios nullos hîc in censum venire discipulos. Apostoli igitur, atque hi soli, ἑτέραις γλώσσαις locuti sunt; hi ob ipsam hanc rem ebrietatis accusabantur ab irrisoribus; his adeo incumbebat se suamque dignitatem Apostolicam, Dei Ejusque Spiritus honorem vindicare; quibus de causis non dubitamus, quin illud οὗτοι de *undecim collegis* δεικτικῶς usurpaverit Petrus, uti supra monuimus. — Ipsam criminationem simplicissime diluit Apo-

---

1) Ita sentiunt etiam Calvinus ad Sect. 1-4; Reddingius *Hand. d. Apost.* II: 1-4; Christiaanse *Specimen exhibens vindicias facultatis, Apostolis J. C. olim datae, peregrinis loquendi sermonibus*, Traj. ad Rh. 1801; Schott in *Programm. de loco Matth.* III: 7-12; Jenae 1814; De Meijier Diss. *de Lucae ἀξιοπιστίᾳ*, pag. 91 et 107; Beeckman Diss. de *Oratione Stephani Apologetica*, pag. 2 nota 3. Vidd. etiam Diar. *Godgel. Bijdr.* 1838, pag. 870 et 878; 1839 pag. 398-418; 1840, pagg. 506, 511, 522. Item vir Pl. ven. S. Coolhaas van der Woude ea, quae Pentecostis die acciderunt, ad solos Apostolos referre nobis videtur, disputat.: »Kan uit Jezus dood, opstanding," enz., inserta diario *Waarheid in Liefde*, 1841; III; pagg. 457-505; vidd. pagg. 494 sqq.

stolus: οὐ μεθύουσιν, inquit, ἐστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας. Ὥρα τρίτη est tertia ab ortu Solis, ex nostra computandi ratione hora nona. Jam vero, haec erat hora matutinis precibus sacrificiisque destinata [1]); Ad hanc usque horam a cibo potuque abstinebant Judaei; imo festis diebus, ad horam usque duodecimam. Solemnem huncce morem non nisi dissolutissimi Judaei transgredi audebant. Bona autem fama utebantur Apostoli, sanctissimi Domini discipuli. Summo igitur jure negat, ebrietatis suspicionem sanctique diei violationem cadere posse in integerrimae vitae homines, qui ad sacra facienda palam convenissent, indeque a primo mane in templo preces fudissent. Quum igitur a tempore ipso cavillantium calumnias refellere posset, nullum aliud defensioni argumentum addit; sed veram eamque sublimem magnae, quam viderant, commutationis causam illis ob oculos ponere atque explicare incipit:

Sect. 16.

Ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου Ἰωήλ.

Est haec apodosis membri prioris Sectionis 15. Causam directam continet, cur attentis auribus esset audiendum. „Non enim," dixerat Apostolus, „hi ebrii „sunt; neque id tantum," ita pergit, „sed quae con-

---

1) Vid. Wineri *Real. Wörterb.*; (Ed. 2); I. pag. 466. Notus Judaeorum canon.: »Non licet homini gustare quicquam, antequam »oraverit orationem suam;" Berachot; Fol. 28; 2.

„spexistis mirabilia, ex Joëlis praedictione facta sunt." *Τοῦτό ἐστι* frequens est formula, cum res, quae propter exspectationem accidit, indicatur [1]). Locus a Petro ex Joële allatus, invenitur Cap. III: 1-5; in *Alexandrina* versione Cap. II: 28-32 [2]). Ex collatis vero Apostoli verbis cum Hebraico textu et Alexandrina versione sponte patet, neutri Petri verba omni ex parte respondere. Cujus rei causa non in eo quaerenda videtur, quod Petrus memoriter locum citaverit, uti visum est Moro, Heinrichsio, Olshauseno, Rutgersio, aliis; verum potius in eo, quod consulto ea, quae Joël exhibet, amplificaverit Apostolus; idque quidem ita ut nihil a Prophetae mente alienum addiderit; tantum explicandi causa nonnulla adjiciens. Hoc recte mihi animadvertisse videntur Calvinus et Hengstenbergius [3]). Age, jam Apostoli verba interpretemur, Sectt. 17-22 occurrentia, ac Joëlis vaticinium referentia:

Sect. 17.

Καὶ ἔσται ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις, (λέγει ὁ Θεός), ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν, καὶ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄψονται, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται.

---

1) Haec Ruhnkenius Ann. Mss. laudd. ad l.

2) De varia hac divisione conf. A. Rutgers V. cl. in disput., *exhibente annotationem in Joëlem;* pag. 74, 75.

3) Vid. hujus *Christologie des A. T. und Commentar über die Mess. Weiss. d. Propheten;* III; pag. 191, 193.

Quae hîc occurrit formula *καὶ ἔσται* merus est Hebraismus, plane respondens *τῷ*: וְהָיָה; ita etiam Sect. 21, *ἔσται — ἐκχεῶ* nihil aliud significat quam *effundam;* futuri *ἐκχεῶ* forma serioris est aetatis [1]); pro: *ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις* Joël habet אַחֲרֵי־כֵן, quod LXX vertunt: *μετὰ ταῦτα.* Habemus igitur hîc explanationem eorum, quae apud Prophetam leguntur. Etenim locutio אַחֲרֵי־כֵן futura tempora significans universe [2]), a Petro definitur ac clarior redditur locutione *ἐν ταῖς ἐσχ. ἡμέραις*; eo consilio, ut ampliorem in se locutionem ex ipsa re ita definiat, ut tempus, ad quod vaticinium potissimum referendum sit,

---

1) Vid. *Winer Gramm.* pag. 73.

2) De clar. Rutgersii sententia, phrasis אַחֲרֵי־כֵן, etiamsi maxime sit indefinita, si vocabulorum propriam vim spectes, in usu tamen est Prophetis ad designanda Messiana tempora, et plane convenit cum: בְּאַחֲרִית הַיָּמִים, qua itidem utuntur Prophetae, ut tempora Messiana designent; Spec. laud. pag. 75, 76. Et doct. A. J. Snouck Hurgronje, in Diss. inaug. *de praecip. Vat. V. T., quibus effusio Spir. S., diebus Messiae exspectanda, praenuntietur*, Traj. 1804, pag. 10-12, permutari priorem formulam cum posteriore concedit, hanc vero non *semper* de Messiae temporibus usurpari statuit; quum autem formula *ἐσχ. ἡμέρ.* in N. T. semper *dies Messiae* indicet, atque hanc Petrus Joëlis verbis substituerit, Prophetam formulâ memoratâ revera Messiae tempora cogitasse et indicare voluisse, pro certo habendum esse censet. Vidd. item de hac formula, Muntinghe, *Geschied. d. Menschh.* VII; Annot. 298; et K. van Rintelen, in Diario *Waarh. in Liefde*, 1842, pag. 751. Ab his, uti et a nobis dissentit Vir erud. P. Bosveld, in sermone de Actor. loco II: 21, inserto in Diario *Godgel. Bijdr.* 1827, et ab ejus Collega G. Kuipers, doctis illustrationibus locupletato. Vid. quoad laud. formulam, pag. 556.

elucescat, ac simul pateat, quo sensu et jure inpraesentiarum vaticinium adducatur. Scilicet, per locutionem בְּאַחֲרִית הַיָּמִים, ἐν ταῖς ἐσχ. ἡμ. Judaei intelligebant *Messiana tempora*, novam illam et posteriorem epocham, quae a Christi adventu initium caperet, quaque, utut duratura ad finem usque saeculorum, stabilis foret Ecclesiae conditio. Eâ igitur formulâ adhibendâ significabat Apostolus, advenisse illa tempora, propterea quod vaticinium Joëlis, ea spectans, hoc ipso die eventu comprobari inceperat. In N. T. de *Messiae* temporibus haec formula semper usurpatur; Hebr. I: 1; 2 Tim. III: 1 alibi [1]) Verba λέγει ὁ Θεός desunt *tum* in textu originali, *tum* in versione Alexandrina; ostendunt autem, vi oppositionis τῷ: εἰρημένον διὰ τοῦ προφ. Ἰωὴλ Sect. 16, divinam vaticinii originem; unde sequitur, necesse illud impleri debuisse. Ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου; Joël habet אֶת רוּחִי; sequitur Petrus Alex. interpretes, qui אֶת verterunt: ἀπὸ; haec simplex mutationis causa est; nullus igitur

1) Quapropter non intelligo, quomodo Olshausenus ad h. l. scribat: »Dieser Ausdruck fällt auf, da die letzte Zeit ja noch nicht da »war, als der Geist auf die Apostel fiel." — Nam, ubi his verbis alludere censet Apostolum ad futuram Christi παρουσίαν, quam proxime instantem sibi cogitaverit Petrus, aeque errat ac Meijerus, qui in eadem sententia versans, indicari putat: »die letzten Tage des »Vor-Mess. Zeits, die der Inauguration des Messias-reichs (welche nach »Petri Ansicht durch die bald erwartete Parusie Christi geschehen »musste) unmittelbar vorhergehenden Tage." — Nec enim formulae haec temporis nota inest, uti monuimus, nec per ἡμερ. τοῦ Κυρ. τ. μεγ. κ. ἐπιφ., Sect. 20, *ultimi judicii tempus* intelligendum esse, suo loco probare conabimur. Cff. Doukeri Curtii dicta in *Godg. Bijdr.* 1821 pag. 158, 159.

sermo est de *particula* quadam *πνεύματος* [1]); sed idem habendum ac *ἐκχεῶ τὸ πνεῦμα*. Jam vero verbo *ἐκχεεῖν* notio inest largae affluentiae [2]); effundetur ergo Spiritus S. magna plenitudine; multiplex donorum varietas ex ipso, ceu inexhausto fonte, profluet, idque quidem *ἐπὶ πᾶσαν σάρκα*; - כָּל־בָּשָׂר; quod interpretes *Judaici* sumunt de *populo Israëlitico*, multi vero *Christiani* de *toto genere humano* [3]). Ultima vero sententia probanda non videtur. Nimirum, *Ethnicos* etiam Spiritus S. effusionis participes fore Joël ferme hîc indicare non potuit; cum poenarum comminatio, quacum arctissime cohaeret laeta promissio, non nisi populum *Israëliticum* spectaret. Et Crednerus, nimie premens verba כָּל־בָּשָׂר neglectoque prorsus contextu, eo erroris se abduci passus est, ut statueret simul bestias quascunque, ipsas adeo locustas, hac Spiritus S. effusione: „*die Quelle alles Guten und Grossen des*

---

1) Uti visum est Olshauseno ac Meijero.

2) Vid. Bretschneideri Lex. ad v.; item E. Meier, *Der Proph. Joël übersetzt und erklärt*, Tub. 1841; pag. 140, 141.

3) Sic Olshausenus; item Steudelius in *Tub. Pfingstprogramm* 1820; pag. 11. Snouck Hurgronje, pag. 13. Muntinghe, l. l. pag. 223 et Annot. 208. Maurer, in *Proph. Min.* ad l. Wettius, cui assentitur Meierus, vertit: »über alles Fleisch = alle sterblichen;" addit autem: »und zwar nach Joël zunächst und vorzüglich über das Volk *Israël*, nach Petrus auf die *ganze Menschheit*." — Pl. ven. van Dugteren item de *cunctis nationibus;* vid. l. l. Jam vero (*ὡς ἐν παρόδῳ* haec monere hîc liceat), si vera sunt, quae de verbis *πᾶσα σὰρξ* nobis videantur, cadit Viri his nixa argumentatio pro sententia (pag. 10 nota 1) sua defendenda; nam tunc in *se collegisque suis* impleri coepisse Joëlis vaticinium pleno jure contendere potuit Apostolus.

Gottwohlgefälligen und Göttlichen," beatum iri [1]). Nos vero toti subscribimus Calvini, Tychsenii [2]), Bosveldii [3]), Hengstenbergii, Meieri sententiae, qua πᾶσα σὰρξ ponatur in genere, cujus generis species deinceps enumerantur in memoratis filiis, filiabus, senibus, juvenibus servisque, ut significetur, nullum sexum, aetatem, conditionem de hac Spiritus S. communione exclusam fore. „Quid igitur illa uni„versitas valeat, sequentia clare docent," uti recte monet Calvinus. Non tollit restrictionem ad certum quendam populum, sed submovet limites sexûs, aetatis, conditionis, hunc inter populum positos [4]). Ceterum vi oppositionis, vox בָּשָׂר intelligenda est de *humana natura*, ratione habita ejus impotentiae ac indigentiae; רוּחַ de *principio vitali* ac *efficaci*. Copiosa ergo illa Spiritus S. effusio et uberrima immensae multitudinis beata esset sors; qua, recte animadvertente Calvino, duplex antithesis oritur inter V. Novique Testamenti tempus. Sub priori enim Spiritus

---

1) »Ein Gedanke," ait Meier, pag. 142, »der zu unlogisch und »abenteuerlich ist, als dass er widerlegt zu werden brauchte."

2) In *Progr.* ad h. l. pag. 5. — Ita etiam statuit Censor Disp. Clar. Rutgersii, in *Godgel. Bijdr.* 1830, pagg. 668, 669.

3) In sermone laud. pag. 541, coll. pag. 547, 549 et 550.

4) Eandem sententiam expressam video in praeclaro, quod Trajecti ad Rh. edi coepit opere ad illustrandos Prophetas minores, ubi in annot. ad prophetias Joëlis, nostro loco, legitur: — »dan zoude »de Heer Zijnen Geest uitgieten *over alle vleesch, gver ieder zonder »onderscheid van ouderdom, stand of kunne; de nakomelingen van »hen, tot wie Joël sprak*, zouden dan die gaven deelachtig worden, »welke toen slechts het deel van eenige weinige door God gekozen »Propheten waren."

S. communicatio parcior fuerat paucorumque tantum sors; sub Novo vero Foedere Christus, sol justitiae, pleno fulgore, veluti in meridie, lucet ingentemque fidelium numerum sua luce collustrat; Matth. XIII: 17, Luc. X: 24.

Pergit jam Propheta, idque ita ut universe dicta definiat magisque exponat; *tum* explicando quid per *πᾶσαν σάρκα* intelligat, *tum* exhibendo varias Spiritus S. operationes, et maxime quidem *extraordinarias*, quippe inprimis sub sensus cadentes; quamquam hîc non anxie quaerendum sit de singulis donis, deque iis, quibus promittantur; quum Propheta *primariam* notionem, effusionem scil. Spiritus S., cum omnibus sine discrimine sexus, etc., communicandam, non nisi variis coloribus tingit. Itaque brevioribus in singulis explicandis nobis esse licebit. — *Καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν.* Vocem *προφητεύειν* hîc non restringendam esse ad facultatem *futura praedicandi*, sed h. l. significare: *insigni spirituali sapientia donari et intimo cum Deo commercio frui ad Propheticam usque excellentiam* tantum non omnes affirmant [1]). Haec autem gratia non *υἱοῖς* tantum, verum etiam *θυγατρεῖσι* contingeret, id quod antea rarissime obtinebat [2]). Duo insequentia membra: *καὶ οἱ πρεσβύτεροι*

---

1) De verbo *προφητεύειν* conf. laud. Rutgersii disp. pag. 76 et 78; Meier l. l. pag. 144, 145. Snouck Hurgronje l. l. pag. 14. Tychsen, ad l.

2) Viro Clar. L. G. Pareau Prophetae styli exculti ubertati ac elegantiae haec *θυγατέρων* commemoratio forte tribuenda videtur, in disput. *Over de uitstorting des H. G. onder het O. V. enz.*, in *Waarh. in Liefde*, 1838, II, pag. 353. Ceterum in V. T. prophetissas etiam memorari, uti Mirjam, Deboram, Huldam, notum est.

ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται et: οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄψονται ab Apostolo citantur inverso ordine; cujus rei causam Hengstenbergius in eo positam esse conjicit, quod Apostolus conjungere vellet τοὺς υἱούς, τὰς θυγατέρας et τοὺς νεανίσκους, et τοῖς πρεσβυτέροις honoris locum designare. Quod ad lectionem, pro: ἐνύπνια Griesbachius, Lachmannus et Tischendorfius habent ἐνυπνίοις, nitentes auctoritate codicum A.B.C.D. ex emendatione aliorumque Minusc.; sic eadem constructio hîc obtineret atque Act. IV: 17, ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα, et XXIII: 14, ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν [1]); usitatior autem est constructio, quam vulgata lectio exhibet [2]). Formulae ὁράσεις ὄψονται et ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται, quarum prior patefactiones divinas quae vigilantibus, posterior eas quae dormientibus contingebant, respicit, luculentissimos indicant modos, quibus *Jehova* olim sese manifestabat amicis favorisque sui sociis. Vult igitur Propheta: „Spiritus S. bonis ac donis fruentur omnes, sine discrimine sexûs vel aetatis; quod olim nonnisi Prophetarum erat sors, tunc commune fiet bonum." Est quasi dicat: οἱ υἱοὶ ὑμῶν καὶ αἱ θυγατέρες καὶ οἱ νεανίσκοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι προφητεύσουσιν, ὁράσεις ὄψονται, ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται [3]). Etenim haec omnia conjungenda sunt

1) Vid. Winer *Gramm.* pag. 434; ubi docet, ex more *Hebr.* saepe inveniri hanc constructionem apud LXX; imo eam non raro occurrere apud *Graecos* scriptores.

2) Vid. Winer l. l. pag. 202, 203.

3) Conf. Calvinus et Heinrichsius ad l. Inprimis vero Hengstenbergius, Op. laud. p. 178; J. L. Overdorpii disq. in Opp. Soc. Hag. 1804, p. 245. Rutgers l. l. p. 77. Snouck Hurgronje l. l. p. 16-18.

ut Prophetae notio primaria clarâ in luce ponatur recteque capiatur. Anxia donorum personarumque, quibus tribuantur, distinctio hîc nullo modo admitti potest. Non aliter Judaei eorumque proavi locum interpretabantur. Hoc tantum sensu, iis, quae *Pentecostis* dies conspicienda dederat, impleri coepisse Joëlis vaticinium contendere potuit Apostolus. Hunc sensum requirit Prophetarum mos, quo tropis, temporis sui captui adaptatis, utantur, ubi sublime Christi regnum annuntiant. Quem ergo sensum nisi, litteris inhaerens eaque quae ex V. T. oeconomia deducta sunt anxie urgens, nostro vaticinio tribuere velis, videas ne Prophetae mentem migres, quin imo poëseos Orientalis sublimes proprietates misere contorqueas [1]). Sic v. c. Crednerus contendit ὁράσεις tribui juventuti, quippe robore valenti, ἐνύπνια vero senectuti, viribus deficienti [2]). Quae assertio, collatis exemplis historicis, omni fundamento caret [3]).

---

1) Vidd. quae de Joëlis elegantia, verborum affluentia etc., monet R. Lowth. in praeclaro opere: *De sacra Hebraeorum poësi*, pag. 432; Muntinghe l. l. pag. 171 sq.; Glassius *Phil. S.* pagg. 144 et 876.

2) Sic etiam Meyerus, ad Act. II: 17. »Dem lebhaften Gemüthe »des *Jünglings* sind die ὁράσεις, der minderen Erregbarkeit des *hö»heren Alters* die ἐνύπνια entsprechend;" ut et E. Meier l. l. p. 147: »Psychologisch treu theilt der Prophet den abgelebten, den Kindern »sich wieder nähernden Greisen Offenbarungen durch Träume, der »regen, feurigen Phantasien der Jünglinge dagegen Visionen zu."

3) Dignissima, quae hic adscribantur, nobis videntur Hengstenbergii dicta l. l. p. 178: »Es liegt in der Natur der Sache, dass »bei den Haupterfüllungen der Weissagung des Joël, die ausseror»dentliche Gaben des Geistes die ordentlichen, deren Zeugnisse und

Verum autem eorum, quae exposuimus, sensum nos cepisse egregie comprobant insequentia Prophetae verba, quibus nimirum iterum *universe*, prouti inceperat, de effusione Spiritus S. agere instituit:

Sect. 18.

Καίγε ἐπὶ τοὺς δούλους μου καὶ ἐπὶ τὰς δούλας μου ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου, καὶ προφητεύσουσι.

Non invenitur illud *γε* apud LXX; repetitum vero *μου* post verba *δούλους* et *δούλας* omnino ibi habetur. Quo autem sensu illud pronomen, apud Joëlem frustra quaesitum, Petrus servare potuerit, mox elucescet. Quod autem ad eos, qui per *δούλους* et *δούλας* intelligendi sint, tres circumferuntur sententiae praecipuae. Crednerus enim, quocum consentire videtur Cl. Pareau [1]), cogitandos esse censet *captivos Israëlitas*, in peregrinis, a patrio solo longe dissitis regionibus servorum servarumque ad instar degentes; cui sententiae recte, ut mihi videtur, opponitur *tum* plane indefinita, quod ad *illos* captivos attinet, *τῶν δούλων* mentio a Propheta facta, *tum*

»mittel sie sind, zugleich aber auch die Basis, auf der sie ruhen — »begleiten, von denen sie nicht im Wesen, sondern nur in der Form »der Erscheinung verschieden sind. Da nun aber Joël nach dem »engen Anschliessen seiner Weissagung an die Idee hier nur allein »das Wesen in Auge hat, so kommt das historisch nachweisbare »Ausserordentliche, wie Z. B. in der Apostol. Zeit das Weissagen »und Zungenreden, hier nur grade so weit in Betracht, wie das »Ordentliche."

1) Disput. laud. pag. 352 et 353, in nota.

nexus cum praecedentibus, in quibus de deleto discrimine sexus aetatisque sermo est; unde sponte sequi videtur, nostro loco de sublato *conditionis* discrimine agi. Alii laudata verba sumunt de *Dei cultoribus*, uti placuit Calvino, Meyero, aliis; atque hunc sensum ipsi etiam Judaei iis substernebant, quippe qui servos servasque contemnentes, hos a Spiritus S. communione excluderent; quae perversa opinio Alexandrinis etiam interpretibus forte ansam dedit τὸ : μου laudd. verbis apponendi, ut sermo esse videretur de *Dei* ministris, non vero de *hominum* servis. Hanc vero sententiam *item* premit contextus. *Porro*, hac assumtâ, omnis climax desideratur, quam tamen κλιμάκα diserte intendit additum גַּם, καίγε, *quin etiam*, quo inexspectati quid annuntiatur, hoc loco in eo positum, quod servi servaeque non minus ejus gratiae participes essent, qua plane indigni censebantur a σαρκικοῖς Judaeis. *Tandem* inanem sic tautologiam oriri cum antecedentibus frigidumque sensum exhiberi nemo non videt. De *tertia* autem sententia, quam tuentur Morus, Heinrichsius, Hengstenbergius, intelligendi sunt proprie sic dicti *servi* ac *servae*, qui vero iidem sinceri *Dei cultores* sint; quam sententiam nostram facimus. Tales enim nostro loco significari ut statuamus, postulat *tum* prima vocis nude hîc occurrentis vis; *tum* contextus, qui de *conditionis* discrimine deleto agi clare docere videtur. Jam vero, ut et servile hoc hominum genus laetae promissionis implendae particeps fieri posset, requirebatur ut cultui *Jehovae* vere addictum esset. Hoc enim ipsi, aeque ac ceteris, communionis fundamentum erat; atque hoc

indicare voluisse nobis videtur Apostolus addito μου, quamquam forte longe alio sensu a LXX appositum fuerit. De nostra igitur sententia illud μου significat: *mei*, *Mihi addicti hominum servi*, atque hanc ipsam ob causam eâdem ac liberi, *Jehovae* item addicti, felicitate beandi. Hoc ergo sensu illud pronomen recte servare atque suum in usum convertere potuit Apostolus. Sic pulcherrime confirmabatur ab ipso sublimis illa veritas, nullum coram Deo valere conditionis discrimen; sed omnes vi ejusdem, quae ex Spiritu S. est, παλιγγενεσίας aequales esse; ita ut ipsi etiam servi ac servae, modo *Jehovam* colerent, eorundem, quorum liberi, bonorum participes reddi possent. Quo autem luculentius pateat divina illa veritas, addit Apostolus: καὶ προφητεύσουσι; iisdem donis fruerentur atque memorati υἱοὶ, θυγατέρες, νεανίσκοι, πρεσβύτεροι. Etenim, non premendum esse illud προφητεύειν, quasi nonnisi unum istud donum servili hominum generi tribueretur, docent ea quae supra de primaria Prophetae idea in medium attulimus; ad quam generalem notionem hîc eum redire unicuique, paulo accuratius locum meditanti, in oculos incurret [1]). Sunt igitur hi δοῦλοι et δοῦλαι conjungendi cum υἱοῖς, θυγατρεῖσι, νεανίσκοις, πρεσβυτέροις; super hos omnes Spiritus S. effunderetur, nullo sexus, aetatis, conditionis discrimine facto. — His lactis de Messiano tem-

---

1) »Nihil — nos jubet servis ac ancillis caetera illa beneficia de»negare; Deus super eos quoque Spiritum suum effunderet, et quam »ob rem itaque non eadem effecta ac apud ceteros haberet?" Haec Snouck Hurgronje, l. l. pag. 15.

pore praedictis, transit Propheta ad indicandam iram divinam Messiani regni inimicis, eaque quae hujus irae manifestationem praecederent et annuntiarent:

Sect. 19.

Καὶ δώσω τέρατα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ σημεῖα ἐπὶ τῆς γῆς κάτω, αἷμα καὶ πῦρ καὶ ἀτμίδα καπνοῦ·

Verba *ἄνω*, *σημεῖα*, *κάτω* a Petro inserta sunt, ut acrior exsistat antithesis. *Τέρατα*, מוֹפְתִים, *prodigia* significant, quae potentissimam vim arguunt, simul vero alicujus rei *indicia* sunt, uti h. l. divinae praesentiae testes. *Σημεῖα*, אוֹתוֹת, itidem documenta sunt cooperantis Dei, *Dei dactulus* q. d. Uti in V., sic etiam in N. T. utraque vox saepe conjuncta reperitur [1]). Talia portenta conspicienda daret Deus in coelo aeque ac in terra. *Terrestria* nostra sect. depinguntur, nempe *αἷμα καὶ πῦρ καὶ ἀτμίδα καπνοῦ*. Pro: *ἀτμίδα καπνοῦ* Hebr. legitur תִּימְרוֹת עָשָׁן *columnae fumi;* תִּימְרוֹת notat: *elationes;* descendit a יָמַר *extulit* et adhibetur de fumo *in altum sese efferente* ad formam columnae. Septuaginta autem, magis attendentes ad fumi *materiam*, quam ad ejus in aërem adscendentis formam, reddiderunt: *ἀτμίδα καπνοῦ*. Morus, Heinrichsius, Bosveldus, Meyerus, Crednerus, alii, cuncta haec sumunt de bellis, caedibus et incendiis.

---

f) Valckenaerius ad h. l. monet, »*τέρατα* esse *prodigia in coelo; σημεῖα* vero *naturalia*, quae in terra accidunt, *mira* quidem quippe insolita, sed non *prodigiosa*." Contra vero Ruhnkenius in annott. Mss. laudd. docet veteres promiscue his verbis usos fuisse.

Horum vero sententiae mihi cum clar. Rutgersio, Hengstenbergio, Wettio hoc obstare videtur, quod de calamitate ipsa nondum mentio injiciatur, sed ea tantum memorentur meteora, quae *τὴν ἡμέραν Κυρίου* praecessura ejusque adventum annuntiatura sint; uti et illud, quod de *portentis* hoc loco sermo sit. Nos igitur plane facimus cum iis interpretibus, qui extraordinaria hîc indicari naturae phaenomena credant, *ἐπὶ τῆς γῆς* conspicua ex eaque orta; *sive* per *αἷμα* intelligas *pluviam sanguineam;* per *πῦρ meteora ignita, corpora sulphurea;* et per *ἀτμίδα καπνοῦ columnas fumi* ex terra escendentes, aut pulveris fluctus in desertis nonnunquam totos exercitus obruentes mercatorumque catervas perdentes, quae Cl. Rutgersio et Hengstenbergio placuit explicatio; *sive* alia quaecunque horrenda ac insolita naturae visa, non facile ante definienda, his verbis annuntiari statuas 1). Portentorum vero notio nunquam est deserenda. Quae dum *ἐπὶ τῆς γῆς* locum habent, simul *ἐν τῷ οὐρανῷ* conspicientur *σημεῖα*, quae metum et anxietatem incutient, namque:

Sect. 20ª.

Ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος, καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα.

Arcte haec prodigia cohaerent cum memoratis portentis terrestribus; neque haec etiam ad litteram sunt

1) Vid. Muntinghe, l. l. Annot. 208.

explicanda, sed primaria notio tenenda est, quod nempe ita omnia conquassabuntur acsi horrenda fieret totius naturae conversio; recteque monet Calvinus metaphoricis his locutionibus significari, solem et lunam, paterni Dei erga nos favoris testes, dum lucem vicibus suis terrae ministrant, irati et offensi Dei fore nuntios [1]). Sublimis profecto descriptio his verbis continetur eorum, quae adventantem Domini iram annuntiarent. Quocunque oculos homines vertant, atrocia hujus rei signa adspicient. Sursum ac deorsum, terribilia *τὴν ἡμέραν Κυρίου* appropinquantem ostendent. Haec enim accident:

Sect. 20[b].

πρὶν ἢ ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ.

Quae semper cum *Infin. Aor.* conjungitur dictio *πρὶν ἢ*, scil. in sermone historico, vel ad exprimendum *Fut. Exactum*, hîc *futurum* tempus involvit [2]). *Τὴν ἡμέραν Κυρίου, κ. τ. λ.* Quisnam sensus his verbis

1) Pulcherrime Hengstenbergius, l. l. p. 184: »Solche Stellen »sind nicht auf eine einzelne Naturerscheinung zu beschränken. Alles »wodurch der Glanz der himmlischen Lichter verdunkelt oder getrübt »wird, Sonnen- und Mondfinsternisse, Erdbeben, Gewitter u. s. w., »erfüllt diejenigen mit Furcht, in deren Herzen die Gnadensonne »untergegangen ist." et E. Meier: »Das Ganze," ait, »ist zu »allgemein ausgedrückt, als dass man an einzelne Beziehungen den»ken dürfte. Offenbar beschreibt die Stelle ganz allgemein das »Nahen der Gottheit zum Gericht unter dem Bilden eines Erdbebens," etc.; vid. l. l. pag. 149; cff. pag. 150 et 151.

2) Vid Winer *Grammat.* pag. 30, coll. 303.

substernendus sit inquirentibus attendendum est, formulam ἡμέραν Κυρίου in V. aeque ac in N. T. saepius notare: *tempus vindictae divinae*, tempus, quo majestatem suam manifestat *Jehova*, poenis hostes suos afficiendo [1]). Quid? quod formula יוֹם יְהוָה nunquam aliter usurpatur a Joële, nisi de ejusmodi tempore, quo terribilia cernantur Dei judicia; vid. Cap. I: 15. II: 1, 11. IV: 14; quocirca hoc etiam loco eundem illi sensum tribuendum existimamus. Confirmant illud item apposita verba μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. Etenim

---

1) Vid. Bosveld Serm. laud. pag. 528. Muntinghe l. l. Annot. 208, plura hanc in rem loca afferens; porro egregium F. J. Züllig ii opus *de Apocalypsi Joannis*, Stuttgardt 1834, *Excursu primo*, pagg. 401-407. Disp. pl. Ven. U. P. Goudschaal: »*Onderzoek in welk eenen onderscheidenen zin Jezus in de Schriften des N. V. wordt gezegd te komen*" enz., inserta Diario *Waarh. in Liefde*, 1839, III. pag. 492 seqq. E. Meier, l. l. pag. 73: »Es ist," inquit, »kein gewöhnlicher Kampf- und Entscheidungstag; von Almächtigen »geht er aus; daher sein Ernst, seine unwiderstehliche Vernichtung »der Gegner." In opere *Verzameling van Bijdragen ter bevordering van Bijb. Uitl.* enz., *door* Krom *en* van Willes, 1826, exstat pl. Ven. Nyhoffii disputatio in Act. II: 20b, qua ostendere conatur, ἡμέρ. μεγ. κ. ἐπιφ. sumendam esse de *die N. T.*, maxime de *die propagationis Evangelii* inter omnes gentes; sed vide quae hisce opponit ejus Censor in Diario *Godgel. Bijdr.* 1827, pagg. 153-155. Ex all. autem Bosveldii sermonis loco patet, falli doct. Krommium, ubi, in annot. laud. disputationi additâ, putat Bosveldium in eadem ac Nyhoffius versatum fuisse sententia. Sed Nyhoffii sententiam amplecti video censorem (R. V.) disputationis: *De levensgeschiedenis van den Apostel des Heeren Simon Petrus*, door C. N. de Graaff, Theol. Doct. Occurrit haec censura in Diario *Godg. Bijdr.* 1836. Quod ad nostram rem vid. pag. 621 et 622. Quomodo vero laud. formula, aliqua ratione de *die N. T.*, sive *introducti ac propagati Evangelii*, adeoque de die *laetitiae* ac *salutis* possit accipi nec Nyhoffius probavit, nec laud. censor.

ἐπιφανὴς in versione Alex. respondet Hebraico הַנּוֹרָא h. e. *terribilis* [1]); unde intelligitur his interpretibus ἡμέραν ἐπιφανῆ esse *diem poenis divinis insignem.* Laudata sententia porro fulcitur contextu, ubi agitur de tempore calamitoso, iisque quae tempus illud praecederent. Docet igitur Propheta, temporibus Messianis non tantum bona quaecunque spiritualia effusum iri, verum etiam poenas gravissimas Messiam sumturum de regni sui hostibus; cujus adventantis iram ipsa naturae phaenomena annuntiarent. Ad hanc universam notionem haec etiam prophetiae pars est reducenda, quod contextus et indefinita loquendi ratio omnino suadent. Quamcunque nempe gratiae divinae manifestationem comitatur judicium in eos habendum, qui hanc gratiam spernant. Haec notio omni suo ambitu est tenenda, minime vero restringenda ad unum alterumve tempus definitum; quod multi injuria fecerunt, ubi per ἡμέραν Κυρίου, *sive* devastationem *Hierosolymarum* per *Chaldaeos*, *sive* priorem Christi in carne adventum intelligerent, *sive* resurrectionis ejus diem, *sive* Pentecostis, *sive* ultimum judicium; quae omnia rerum momenta spectant, laudatam notionem vel prorsus migrantia, vel non nisi totius partem attingentia. Propius forte ad eam accedunt ii, qui laud. formulam sumunt de *Hierosolymarum* per *Romanos* devastatione; quippe qua luculentissimum exhiberetur documentum poenarum, quas de hostibus suis sumeret Messiani regni caput sanctissimum. Ad hanc

4) Recte הַנּוֹרָא sic reddi potest; quum ἐπιφανὴς notat id quod aliqua re conspicuum est, illustre, insigne, sive malis sive bonis.

majestatis Domini patefactionem si verba primo loco referre velis, optime etiam quadrant ea, quae, dum Christus moriretur, accidebant naturae phaenomena, uti solis caligo, terrae motus, saxorum scissio; quippe quae omnia sic pertineant ad *τέρατα* et *σημεῖα τὴν ἡμέραν Κυρίου* praeeuntia, atque tanquam talia agnoscebantur a multis, qui *θεωροῦντες τὰ γενόμενα, τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη, ὑπέστρεφον*, Luc. XXIII: 48.

Sect. 21.

Καὶ ἔσται, πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται.

Πᾶς ὃς ἄν, *quicunque* tandem, nullo discrimine facto. *Ἐπικαλεῖν* i. e. *invocare;* aliquem ad se vocare, ut nobis auxilio sit, quod ponit, fidem nos habere ei, quem invocamus, quandoquidem haec invocatio non nisi in fide fundata est, ut recte observat Calvinus. *Τὸ ὄνομα Κυρίου*: monet Kuinoelius redundare vocem *ὄνομα* ex Hebraica ratione; laxam autem hanc explicationem jure non admittit Winerus, huic voci propriam sibi vim tribuens, adeoque docens שֵׁם יְהוָה significare *numen Jehovae,* quatenus ab hominibus cognoscitur, colitur, celebratur [1]); dum recte monet Hengstenbergius [2]) minime easdem

1) Vid. ejus Lex. in voce שֵׁם; uti et *Gramm.* pag. 556. Lectu etiam dignissima sunt E. Meieri egregie disputata de locutione שֵׁם יְהוָה, l. l. pag. 136-138. Maurer, ad l.

2) *Christol.* laud. II. pag. 345. Conferri hic merentur, quae de formulis: *ὄνομα τοῦ Θεοῦ, τοῦ Χριστοῦ, ἐν τῷ ὀνόματι*, accurate dixit pl. Ven. P. van der Willigen in Disput. a Societ. Teyler. praemio

habendas esse locutiones קָרָא בְשֵׁם יְהוָה et קָרָא יְהוָה, quippe quae posterior formula nunquam de *impiis*, Deum nonnisi ore ac labiis invocantibus, usurpari possit, quum illud בְּ intimam, quae Deum inter et nomen Ejus invocantem intercedit, consuetudinem includat; ita ut haec formula unice de piis, Deo plenam fiduciam habentibus, atque hac motis, Ejus auxilium implorantibus, adhiberi possit. Sensus igitur hic est: invocare Deum, in cujus nomine veluti sumus; quem tanquam talem agnoscimus et colimus. *Σωθήσεται*, ab ira manifestanda servabitur, salutem consequetur, civibus regni Messiani tribuendam.

Vult igitur Propheta, veros Dei cultores, omnes scil. fidem Ei habentes, seseque Ei, ut Domino suo committentes, a poenis, quas Messiani regni hostes luent, immunes servatum iri ac incolumes; unde patet, non populum Israelit. ut talem servari, pereuntibus gentibus [1]); sed eos tantum salutis Messianae participes futuros, quotquot *Jehovam Dominum* agnoscant colantque. Ceterum, locutio קָרָא בְשֵׁם יְהוָה, quae in V. T. de piis *Dei* cultoribus usurpatur, in *Actis Apostolorum* adhibetur de *Christianis*, veris Christi cultoribus.

---

ornata, 1838; *Over het eigenl. wezen des Christendoms*, I. pag. 296, 300 seqq.; nec minus quae de illis monuit Anonymus in Diario *Godg. Bijdr.* 1833, pag. 748 et 749; et 1838, pag. 506 et 507. Vid. etiam Jod. Heringa *El. fil. Opp. Exeget. et Hermeneut.* edd. ab Henr. Egb. Vinke, praeceptore meo aestumat. *Traj. ad Rh.* 1845, p. 16, 308. et W. A. van Hengel in *Comm.* in ep. ad Philipp. II: 10.

3) Cf. Hengstenberg. l. l. III. pag. 185.

Vaticinium, prouti a Petro allegatur, pro viribus interpretati sumus. Apostolo certo certius constitisse, Messiana illud tempora spectare, atque hoc die impleri coepisse, manifestum est *tum* ex citandi modo, *tum* ex mutata dictione אַחֲרֵי־כֵן in ἐσχάταις ἡμέραις, *tum* ex ipsius declaratione Sect. 39, qua vaticinium hodiernam generationem innuere affirmat. Hinc elucescit quantopere a vero aberrent, illi, qui completum esse hoc vaticinium sub V. T. contendant, Messianam interpretationem plane spernentes [1]). Etenim interpretem quum agat Apostolus, pie illius per Spiritum S. collustrati auctoritatem sequamur oportet, quam confirmant ipsa historia ac vaticinii indoles [2]). Diserta est Apostoli declaratio, omnem argumentationem vaticinio superstruentis; ita ut reperiatur hîc laudatio proprie sic dicta, vanaque iccirco ducenda sit eorum sententia, qui *accommodasse* sese Apostolum clament; cujusmodi nimirum accommodationi vehementer obstant *et* formula laudandi adjunctâ mutatione τοῦ אַחֲרֵי־כֵן in ἐσχάταις ἡμέραις, *et* consilium, quo Joëlis verba laudat Petrus, *et* vaticinii indoles, quae alias res aliaque tempora praedixisse Prophetam vetat ut credamus. [3]). Ubi autem dicimus, *Pentecostis*

---

1) Hos indicatos ac refutatos vide a Doct. Snouck Hurgronje, l. l. pag. 31-34; et Hengstenbergio, l. l. III. pag. 174.

2) Vid. Overdorpius, disquisit. laud. pag. 247.

3) Exposita sunt haec argumenta a Doct. Snouck Hurgronje, l. l. pag. 47-52. Ad rem praesentem Joëlis dicta *accommodasse* Apostolum, inter nostrates statuit et probare conatus est Bosveldus, sermone laud. in *Godgel. Bijdr.* pag. 556 seqq. Scilicet eruditissimus hicce vir vaticinium impletum esse censet Achazi et His-

die vaticinium compleri *incepisse*, intelligitur, uti jam ex praecedentibus efficere licuit, nos minime eorum subscribere sententiae, qui eo tantum die eventu comprobatum illud fuisse statuant, vel ad prima modo tempora Christiana illud referant. Profecto ab hac opinione quam longissime remotam fuisse Apostoli mentem luce clarius patet. Multo enim latiorem vaticinio inesse sensum, ita ut omnia insequentia tem-

---

kiae regum temporibus, ita ut Spiritus S. effusio referenda sit ad emendata ac purgata sacra, regnante Hiskia; horrendae, quas Joël annuntiat, calamitates obtigerint sub Achazi regno, variis bellis genti Israeliticae infausto; et ἡμέρα τ. κυρίου, dies poenis divinis insignis advenerit in destructione a *locustis* profecta, quae acciderit Hiskiae regni initio vel paulo antea; (vid. pag. 546-555). Huic autem sententiae, praeter ea quae affert Snouck Hurgronje l. l. pag. 31-34, opponere liceat: *primo* ne vestigium quidem adesse destructionis cujusdam per locustas iis temporibus, quod ipse doct. vir concedit pag. 554; est igitur haec ejus assertio mera conjectura, quam tueri vult provocando ad crebrius Prophetarum de re quadam in facto posita *silentium*; quod tamen argumentum quam debile sit unusquisque persentiscit. Sed *secundo*, quoad *accommodationem*, non sibi constat viri interpretatio, qua in Petrinae laudationis explicatione, belli calamitates Spiritus S. effusionem *insequuntur* p. 560; in supra autem, p. 542, data interpretatione hanc *praecedunt*; *Tertio* bella, quae antea proposuerat Bosveldus tanquam *antegressura* τὴν ἡμέραν τ. κ. pag. 542-544, in Petri verbis explicandis, ferme *ipsam* illam ἡμέραν *constituere* apparent, pag. 560; unde *quarto* explicandum erit, quod crud. Vir ne verbo quidem monet, de quanam ἡμέρα *Apostolo* demum sermo fuerit. Sed jam, ni fallor, ex his nemo non videt, eum vaticinii ordinem, quem supra proposuit ipse pag. 546, in *Petrina* laudatione explicanda, plane invertere et turbare; idque quidem ita, ut ne *accommodate* verba attulisse amplius dici possit Apostolus. Quid? quod ita plane inepte hic egisse censendus est Prophetae verbis adducendis, utut nullam fere similitudinem cum re praesenti habentibus.

pora involvat ad finem usque saeculorum [1]), elucescit ex Petri verbis Sect. 38: *μετανοήσατε καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι I. X., εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος*, quibus Spiritum s. promittit resipiscentibus, laetâ nitens promissione a Joële exhibitâ. Luculentius etiam hoc patet ex Sect. 39: *ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακράν, ὅσους ἂν προσκαλέσηται κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν*, ubi per *τοῖς εἰς μακράν* intelligendos esse *Ethnicos* constabit attendentibus, *primo* peregrinos Judaeos spectari non posse, quippe qui magno adessent numero, adeoque *τῷ : ὑμῖν* inclusi; *porro* omnes, qui aderant, alloqui Apostolum, unde credibile non est, repente unam alteramve congregatae multitudinis partem illum adortum fuisse. *Denique*, clare alludit ad Sect. 5 finem, quam Alexandrini vertunt: *οὓς Κύριος προσκέκληται*, qua allusione Apostolus simul docere voluisse videtur, notionem de Spiritus s. donis cum gentibus communicandis quodammodo in vaticinio fundatam esse; qua de re ceteroquin Prophetia disertis verbis non agit, nisi saltem *το*: בשר perverse explicare velis; (cff. disp. ad Sectionem 17.) Petri igitur verba docent, participes fore Messiatici regni beneficiorum, quotquot Deus ad illud sit vocaturus. Sin vero sincera Dei invocatio conditio erat, qua illius regni dona acquirerentur, Ethnici aeque ac Judaei illorum consequendorum capaces erant. Quae si ita sint, sequitur de Apostoli mente, miraculo

1) Conf. Hengstenberg., op. laud. p. 189, 190; item Neander, *Apostelgeschichte* I. pag. 26, ed. 2.

Pentecostis vaticinium minime plane completum fuisse, sed referendum esse ad omnia tempora, quorum lapsu Spiritus sancti effusio locum sit habitura, adeoque ad totum tempus regni Messiani [1]). Verum igitur ac genuinum vaticinii sensum aperit Apostolus; ac pro majore, qua gaudebat, luce Messiae beneficia non ad Judaeos tantum, verum etiam ad Ethnicos pertinere docet, qua amplificatione omnem *Particularismum* q. d. plane deprimit [2]). Sceptrum gerente Messia, Spiritus s. effundetur in unumquemque, cujuscunque tandem sit sexus, conditionis, aetatis non tantum, sed *originis* etiam, Domini nomen pie invocantem. Sic in dies Christi gratia sese manifestabit, Ejusque regnum amplificabitur. Cum hac vero gratiae communicatione ira Ejus simul sese patefaciet in omnes regni sui inimicos; quam iram annuntiabunt varia naturae horrenda phaenomena, omnibus conspicua; de quibus ad Sect. 19 et 20 monuimus; atque his item memorandis necessitatem resipiscentiae adstringit Apostolus; cujus rei veritatem ipsa natio Israëlitica tristissimo exemplo ob oculos poneret, quippe quae comminatam

---

1) Cf. ad haec et sequentia laud. Overdorpii disquisitio p. 245, 246; uti et ejus: *Verhandeling over de Profetien des O. T., bijzonder der Messiaansche*, etc. 1840; P. II. pag. 137-139; nec non annotatio ad nostrum Joëlis locum, in supra laudato Commentario Ultrajectino.

2) E. Meier l. l. pag. 152: »Joël," inquit, »musste, von seinem »Standpunkte aus, die Mittheilung des göttlichen Geistes nothwendig »auf Israël beschränken; allein dieser Particularismus enthielt bereits »den sittlichen Universalismus, wie er sich im Drange der Weltge»schichte zu immer klarerem Bewusstsein in Israël herausbildete, »von Anfang an in sich."

iram prima expertura esset. Scilicet, in miserrima illa *Hierosolymorum* devastatione prima cernitur divinae Domini majestatis patefactio; revera advenit ἡμέρα ἡ μεγάλη καὶ ἐπιφανής. Talis autem dies adest, talis manifestatio conspicitur, quoties de hostibus suis poenas sumit Dominus, dum amicis suis gratiam largiri pergit; donec veniat *dies dierum*, ἡ ἡμέρα κατ' ἐξοχὴν μεγάλη dicenda καὶ ἐπιφανής, ultimi illius judicii tempore, quo omni sua amplitudine et majestate, Angelorum corona cinctus, mundo sese conspiciendum praebebit Dominus, ad regni sui inimicos plane delendos; amicos vero summa felicitate beandos. Singulas vero eas manifestationes praecedent naturae phaenomena, Domini iram adventantem annuntiantia Quae opinio, in tota fere antiquitate regnans [1]), in ipsa hominis natura fundata est; cum natura visibilis veluti species animi humani conditionis dici ac haberi possit [2]). Unusquisque enim culpae suae sibi conscius, poenasque, quas certo affuturas intime sentit, anxie exspectans, ex ipsis naturae phaenomenis, iis maxime, quae irae divinae signa et symbola sese ipsi quasi obtrudunt, infelicem sibi sortem instare certo certius conjicit; quae quidem naturae visa menti purae Deoque

1) Vid. E. Meier, l. l. pag. 3; et Maurer, ad l., multis profanorum scriptorum locis illud probans.

2) Neander, l.l. pag. 9, de Pentecostis miraculo agens: »Ausser»ordentliche Naturerscheinungen," inquit, »begleiteten, wie in be»deutenden Epochen der Geschichte der Menschheit auch sonst ein »ähnliches Zusammentreffen vorkommt, die grosse Thatsache der »Geisteswelt, und sie waren ihnen Sinnbild desjenigen, was ihr In»neres erfüllte."

confidenti nullum hujusmodi metum incutiunt. Quid? quod consueta haec Dei agendi ratio esse videtur, ut, solito terribilioribus naturae visis mittendis, ingentes catastrophas instare impiis persuadeat. Cujus item rei luculentum v. c. exemplum praebent ea, quae, teste Josepho, *Hierosolymorum* devastationem praecesserunt [1]). Hinc est, quod Christus etiam talia suum adventum praegressura monet Matth. XXIV et Luc. XXI. Ut vero ab Ipsius ira manifestanda immunes servarentur auditores, Petrus n. l. Joëlis verba, (Sect. 3-5), beati temporis annuntiationem insequentia, addit, quamquam ceteroquin ad praesentiarum proprie non pertinerent.

Complectitur igitur Joëlis vaticinium totum regnum Messianum, divinae gratiae dona, divinaeque irae poenas variis coloribus pingens. „Jam vero," haec sibi vult Apostolus, „hoc Joëlis vaticinium hodie eventu comprobari coepit. Quae vidistis mirabilia testes hujus rei sunt; Messiani regni initia exhibent. Sunt enim haec ipsa documenta habenda Spiritus sancti effusi, cujus vis jam in nobis operatur; adventum Messiani regni vobis ob oculos ponunt. Novistis enim, non aliter quam Sospitatoris adventu hanc laetam promissionem expleri potuisse. Adest instaurationis tempus; agnoscatis inde, datum esse vobis Christum." — Hoc exponere incipit, Sect. 22 sqq., quibus ostendit, Jesum illum, quem cruci affixerant, promissum esse Messiam, quippe in quem cetera etiam

1) Vid. de *bello Jud.* IV. 4, 5.

vaticinia eventu essent comprobata, quique, mirabilium quae evenerant causa, Ipse ille erat, ὃς ἐξέχεε τοῦτο, quod viderant et audiverant, Sect. 33.

POSTERIOR ORATIONIS PARS,
Sectt. 22-36.

Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, inquit Sect. 22, ἀκούσατε τοὺς λόγους τούτους· Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, οἷς ἐποίησε δι' αὐτοῦ ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ ὑμῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ οἴδατε·

Ἄνδρες Ἰσραηλῖται· honorifico hoc nomine eos compellat Apostolus, ut magis etiam eorum benevolentiam capiat. Nimirum prisco illo nomine gloriabantur Judaei, vid. 2 Cor. XI: 22; quocirca non potuit non grata iis esse haec compellatio, quippe quae illustrem ex Israële originem in mentem iis revocaret, attentosque illos reddere ad Apostoli dicta. Eodem hoc nomine summum Judaeorum collegium honoris causa alloquitur Gamaliël, Act. V: 35. Ceterum hoc tempore nomen illud jam magis in desuetudinem abierat, locumque fecerat vulgari: Ἰουδαῖοι, quo usus fuerat Apostolus, Sect. 14. — Ἀκούσατε τοὺς λόγους τούτους; adstringendae attentionis formula. Sic transitum prudentem non minus ac gravem sibi parat Petrus ad ea, quae jam iis annuntianda habebat. Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον; hoc nomen repente eloquens, statim indicat, de quo jam viro sibi sermo erit, auditoresque in mediam rapit rem. Ναζωραῖον vocat Jesum, quo nomine omnibus notus erat Sospitator

imo a nonnullis ludibrio vocabatur [1]) Sic a maxime vulgari incipiens, continue *κλιμάκα* instituit in Jesu persona describenda, uti nos docebit insequens orationis series. Non statim ergo Jesum illum *Nazarenum* fuisse Christum affirmat, sed tantum *ἄνδρα* [2]), *virum* illum fuisse dicit *ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον*. In horum autem verborum sensu constituendo in varias abeunt partes interpretes. Namque Kypkius et Heinrichsius putant, post verba *τοῦ Θεοῦ* ponendum esse comma, atque intellecto *ὄντα*, verba *ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ* (scil. *ὄντα*), vertenda esse: *virum divinitus missum;* insequentem vocem *ἀποδεδειγμένον* vertentes: *celebrem factum*, (*δυνάμεσι κ. τ. λ.*). Sunt autem, quae huic sententiae non parum refragari videantur. *Primo* enim valde insueta, nisi prorsus insolita est dictio *ἄνηρ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ*, nude posita illa, planeque arbitrarium subauditum *ὄντα*. *Deinde*, insequentia *οἷς ἐποίησε — ὁ Θεὸς* conjunctionem verborum *ἀπὸ τοῦ Θεοῦ* cum *ἀποδεδειγμένον κ. τ. λ.* postulare videntur. Neque *porro* ullo jure verbum *ἀποδεδειγμένον* Kypkius vertit: *celebrem factum*, quam versionem, docente Ruhnkenio [3]), respuit omnis lo-

---

1) De vocis Ναζωραῖος origine, significatione et vi, quae legantur dignissimae sunt Hengstenbergii animadversiones ad Matth. II: 23, occurrentes in viri cl. saepius laud. *Christologie* II: 1, pag. 1-8; item Gieseleri monita in eundem locum, obvia in diario: *Stud. und Krit.* 1831, III. pagg. 591 seqq. *Belgice* versa haec exstant in *Godgel. Bijdr.*, 1832, p. 222-226.

2) Semel Paulus quoque ἀνὴρ Jesum vocat, per quem Deus juste mundum judicaturus est, in oratione, *Athenis* habita, Act. XVII: 31; ubi verba facit coram hominibus, quibus adhuc plane ignotus erat Dominus. 3) Ann. mss. laud. ad l.

quendi usus. Quod si cum Heinrichsio vertas: *eundemque comprobatum*, disjunctio nullum idoneum habet consilium; quippe quae *comprobatio* divina satis jam ostenderet, illum *a Deo fuisse missum;* unde inanis tautologiae Heinrichsii sententia accusanda videtur. Quam evitare studentes, verboque ἀποδεδειγμένον suam sibique propriam significationem tribuere, cum Wettio, Olshauseno, Meyero, conjungimus verba ἀπὸ τ. Θ. ἀποδεδειγμένον κ. τ. λ., et vertimus: *virum a Deo demonstratum, plane ostensum* etc.; nam ἀπὸ in compositis saepe perfectionem denotare docet me Ruhnkenius [1]). *Rem* autem cum demonstramus, sic *hominem* etiam *demonstratum* dicere possumus, de quo certa edita sunt documenta, quae nullum dubitationi locum relinquunt; ita ut de ejus persona nobis plane constet, haec nobis veluti ostensa sit. Talia jam argumenta, ejusmodi ἀποδείξεις de Jesu persona dedisse τὸν Θεὸν, declarat Apostolus, ex quibus ad divinam Ipsius legationem concludi, deque ea constare debeat. Ἀποδεδ. εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι κ. τ. λ., Ruhnkenius censet εἰς ὑμᾶς positum esse pro ἐν ὑμῖν; atque iccirco Vulgatam recte interpretatam esse: *in vobis.* Tali vero utriusque praepositionis permutatione neque opus esse, nec admitti posse monet Winerus [2]); et ita quidem monet, ut accuratior nobis videatur Meyeri interpretatio: *in Rücksicht auf euch; ut scil. talis a vobis agnosceretur.* Sic praepositio εἰς h. l. uti saepius

---

1) Valckenaerius quoque vertendum esse *demonstrare* monet, in *Scholiis in Act. Apost.*, ad l.

2) Vid. Wineri *Gramm.* pag. 390-392.

spectat scopum, quem animus in actione intendit [1]). Jam vero quasnam de Jesu persona ἀποδείξεις edidit, proposuitque Deus? Provocat Apostolus ad δυνάμεις καὶ τέρατα καὶ σημεῖα, de quorum singulorum vi vidimus ad Sect. 19; quocirca hic tantum observamus, Petrum, tribus his miraculorum generibus memorandis, horum et multitudinem, et varietatem ob oculos habere, atque denotare. De cunctis his Apostolus affirmat: οἷς ἐποίησε κ. τ. λ. Constructio οἷς ἐποίησε pro ἃ ἐποίησε ducenda est ex more *Atticorum*, quo pronomen relativum praecedentis nominis casui, non vero insequenti verbo respondet [2]). Ἐν μέσῳ ὑμῶν, *in mediis vestris*, omnibus conspicua fuere illa miracula; „haec autem δι' αὐτοῦ, per Jesum illum *Nazarenum* patravit ὁ Θεὸς; ideoque argumenta vobis sunt, pro divina Jesu legatione Ejusque personae dignitate. Etenim iis documentis *demonstratus est a parte Dei, ostensus legatus divinus;* nullum hac de re apud vos dubium exstare potest; ipse Deus de Illo, per Illum, testimonia dedit, Ipsiusque personae dignitatem claram vobis fecit." Quo magis autem dictorum veritatem confirmat, iis etiam, qui Jesu miraculorum testes oculati non fuerant, Apostolus provocat ad ipsam auditorum conscientiam, addens: καθὼς καὶ αὐτοὶ οἴδατε. Ceterum, ad divinam Jesu legationem probandam, eandem rationem Petrum hic sequentem videmus, quam Sospitator ipse saepius ad-

1) Vid. Wineri *Gramm.* pag. 377.

2) Vid. Wineri *Gramm.* pag. 153, § 24; ubi hanc constructionem in N. T. ex constanti regula obtinere monet.

hibere solebat, in eundem finem ad opera sua ac facta insignia provocans; e. g. Joh. V: 36. X: 37, 38, alibi [1]). Quod autem Christum primarium miraculorum auctorem non faciat Apostolus, sed ministrum duntaxat, exinde explicandum est, quod gradatim, uti diximus, procedere instituit. Hactenus Jesum proposuit *virum divinitus demonstratum*, provocavitque ad testimonia mirifica, quibus Deus ipse Ejus legationem sancivit; ita ut nisi defuissent oculi, de Ejus dignitate certo certius iis constare debuisset. His de Jesu illo *Nazareno* monitis, sensim ulterius in Ipsius dignitate exponenda pergit, uti insequens docet orationis series.

Sect. 23.

Τοῦτον, τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ, ἔκδοτον λαβόντες, διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε.

Τοῦτον, cum emphasi: *Hunc* eximium, divinitus demonstratum virum, ignominiosa morte affecistis. — Antequam vero mortis, quam Jesus subiit, mentionem injicit, monet, Hunc omnia, quibus obnoxius fuit, mala probraque non fortuito, sed, decernente ac praesciente Deo, perpessum esse. Sic Petrus occurrit offensioni, quam primo adspectu Christi crux auditorum animis parere posset; stultis pravisque cogitationibus ansam praecidit, et offensiones praevertit, quae inde concipi possent. Videamus jam de verbis:

---

1) Cf. Heringa disp. de *Accommodatione*, in Opp. Soc. Hag. 1789; pag. 182 sqq.

τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ. Cum *definire* significet verbum ὁρίζειν, nemo dubitat, verba: ὡρισμένῃ βουλῇ vertenda esse, *definito consilio*. Dissensus autem non levis exstat quod ad illud προγνώσει. Scilicet Beza, Grotius, approbante Ruhnkenio, uti et Kuinoelius et Heinrichsius, synonymum illud habent cum ὡρισμ. βουλῇ; adeo ut aeque vertendum sit: *decretum*. Huic tamen sententiae cum Calvino, Moro, Wolfio, Wettio, Meyero, calculum adjicere non possumus. Obstat enim *primo* propria vocis προγνώσεως vis, quae *praescientiam* denotat; quo sensu occurrit 2 Petr. III: 17. 1 Petr. I: 2. Rom. XI: 2. Sic etiam Rom. VIII: 29, ὡς προέγνω distinguitur a seqq. καὶ προώρισε [1]). *Secundo*, etsi damus vocem γινώσκειν a profanis scriptoribus de *decreto* usurpari, ex *simplicis* tamen vocis usu nondum ad *compositum* argumentari licet; nullum etiam secus sentientes afferunt exemplum, quo *compositum* προγινώσκειν de *decreto antea facto* usurpatum esse ostendant. Cui *tertio* accedit, eodem his verbis substrato sensu, inanem oriri tautologiam, rationemque dari non posse, quare Petrus illud προγνώσει verbis ὡρισμ. βουλῇ addiderit. Haec igitur nos movent, ut, cum laudd. Viris propriam utriusque verbi significationem tuentes, vertamus: *definito Dei consilio et praescientia;* Deo decernente ac praesciente. Et quamquam negari non potest, sensu metaphysico Dei voluntatem et praescientiam arctissime conjunctam esse, Petrus tamen propterea inter utramque, ab animi humani actione

1) Cf. Heringa *Opp. Exeg. et Hermen.* p. 281.

sumtam, distinguit, ut, recte monente Calvino, doceat, Dei consilium ratione non carere, quocirca praescientiam illi sociam adjungit; et „quamquam ordine prior est praescientia, (quia Deus quid statuere velit, antea videt, quam re ipsa statuat) consilio tamen vel decreto eam subjicit, ut sciamus, „Deum nihil voluisse aut statuisse nisi quod longe „ante direxerat in suum finem." Ceterum, *Dativus* hicce, est *Dativus normae*, ad quam aliquid fit [1]). — Insequuntur jam verba ἔκδοτον — ἀνείλετε. Ἔκδοτος dicitur ille, qui hostibus exposcentibus traditur, ita ut pro lubitu quidvis de eo possint statuere; generatim *traditum* in aliorum potestatem denotat. Quod ad participium λαβόντες, suspicabatur Millius [2]), e margine in textum illud irrepsisse, quia deest in Codd. A. C. Vulg., aliis; Wolfius contra eo omnino ad sensum opus esse contendit. Valckenaerius [3]) neutrum verum esse dicit, quippe nec ad sensum necessarium, nec tamen e textu ejiciendum. „Est enim," inquit, „λαβὼν ejus generis participiorum, quae sic „a Graecis adhibentur, ut videantur superflua; quum „tamen plerumque addant vim et celeritatem quandam „agendi." Haec tantum verba ἐκδ. λαβ. Wolfius cum praecedentibus jungenda censet, atque explicanda de *Deo*, qui destinato consilio Filium suum, in vincula rapiendum, arbitrio Judaeorum permiserit ipsorumque potestati subjecerit. Interpretes autem fere

---

1) Vid. Winer *Gramm.* pag. 193.

2) In *Prolegg. ad N. T.* pag. 747.

3) In *Scholiis* ad l.

omnes, totam phrasin ἔκδοτον — ἀνείλετε cum antecedentibus arctissime cohaerere putant; ἔκδοτον vero referendum esse ad Judam *Iscariotam*. Et recte quidem, ut nobis videtur, sic statuunt; nam βουλὴ illa et προγνωσις τ. Θεοῦ non tantum ad ἔκδοσιν, verum etiam ad cruentam Jesu mortem pertinent; hoc vero utrumque scelus *per homines*, quamquam Dei nutu et ordinatione, perpetratum est. „Proditio" enim, quod recte animadvertit Calvinus, „quae per se nefaria „est, et caedes, quae tantum scelus in se continet, „Dei opus non debet censeri" [1]). Acceperunt itaque Judaei Jesum *a* Juda *traditum;* ex immutabili tamen Dei decreto id permittendi et dirigendi. Nonnulli post ἔκδοτον interpungentes, participium λαβόντες jungunt cum verbis διὰ χειρῶν ἀνόμων; ast vero frigidam sic atque languidam exsistere orationem, recte animadvertere videtur Kuinoelius; nec minus negligi usum loquendi, ex quo verba ἔκδοτον λαβόντες conjungantur necesse sit. Ne dicamus, memoratam connexionem falso niti fundamento, cum illius patroni διὰ χειρῶν ἀνόμων vertant: *per manus impias*, scil. Judae; quae interpretatio prorsus rejicienda est. Etenim pro χειρῶν legendum esse: χειρός, Griesbachius, Lachmannus et Tischendorfius docent, auctoritate codicum A. B. C. D., aliorumque; quam lectionem, ut duriorem magisque Hebraizantem, Kuinoelius et Wettius veram ducendam esse monent. Hac autem assumta, dilucide patet, ἀνόμων *substan-*

1) Haec distinctio desideratur quoque in summi Palmii sermone ad h. l., occurrente in nova Editione ejus Oratt. ss., III. Vid. p. 51.

tivum esse habendum, et vulgari significatu accipiendum de *Ethnicis*, qui ἄνομοι Judaeis dicebantur, quippe μὴ ἔχοντες νόμον, *Mosaicam* scilicet. Sic etiam Rom. II: 12, 14. 1 Cor. XI: 21, alibi, de Ethnicis usurpatur. Quae si ita sint, exinde sequitur, falsam esse interpretationem: *per manus impias*, sed vertenda esse verba: *per manum improborum*, i. e. *gentilium*; significante διά, ex Hebraismo, causam instrumentalem q. d., et respondente Latinorum vocabulo: *per* [1]). Ex hac igitur interpretatione neque ad Judam verba referri possunt, nec cum λαβόντες jungi. Luce vero clarius insequenti προσπήξαντες [2]) debent annecti; nam ad προσπήξαντες subaudiendum est σταυρῷ; igitur: *cruci affigentes*; quod scelus perpetratum esse ab ἀνόμοις, *gentilibus*, *Romanis*, historia docet; ex qua Pilatus Christum cruci adjudicavit, et milites *Romani*, non vero Judaei, latam sententiam exsecuti sunt. Quod ad ultimum hujus Sect. verbum ἀνείλετε [3]), Beza aliique illud jungunt cum explicitis verbis διὰ χειρ. ἀνόμων; quae tamen conjunctio nititur eâdem falsâ interpretatione, quam modo oppugnavimus. Quid? quod illi, sensum exhibentes: „*Manibus sceleratis, vos, Judaei, cruci affixum interemistis*," negligunt omnem vim instrumentalem praepositionis διά, nec minus hi-

1) Meyerus ad h. l. »διὰ χειρὸς," inquit, »ist hier nicht wie »בְּיַד für das blosse *per* zu nehmen, (s. Fritzsche ad Marc. p. 199); »sondern, da von einen Handgeschäfte die Rede ist, in seiner vol»len Wortbedeutung. Es gehört zur rednerischen Anschaulichkeit." De praeposit. διὰ vid. Winer *Gramm.* pag. 361, § 51.

2) Cf. ad h. verbum Valckenaer. et Ruhnken. ad l.

3) De hujus verbi terminatione ατε pro: ετε, vid. Winer l. l. p. 70.

storiam migrant, vel certe non nisi indirecte hanc veritatis lucem celebrant, quatenus nempe is, qui interficiendum curat, perinde reus est, ac si sua ipse manu interfecisset. Cum autem auditoribus, maximam partem criminis insontibus, caedem illam imputet Apostolus, additâ voce *ἀνείλετε*, non id sibi vult, quod ipsi illi Sanctum interfecissent, sed quod una totius ferme populi voce publiceque, *Sanhedrii* jussu, ad necem postulatus fuerit. Quo magis autem conscientias peccati sensu pungat, acerbe dicit: „*Vos* intere„mistis Eum." Ceterum Sectionis, misere a nonnullis, uti vidimus, dilaceratae, haec jam nobis interpretatio paraphrastica exhibenda videtur: „Hunc, hunc ipsum „divinitus vobis ostensum virum, turpiter a Juda „*Iscariota* vobis proditum, cepistis, Eumque inter„emistis; quippe qui unanimi voce ejus necem postu„laveritis; quo scilicet vestro postulatu factum est, ut „gentilium manu Ipse ille cruci affixus sit. Haec „vero cuncta probra et mala Ipsi contigerunt, Dei „nutu ac ordinatione." Hac igitur ratione Apostolus èt omnem crucis Christi offensionem ex auditorum animis eruere studet; èt morte Ejus memoranda, pleniorem resurrectioni fidem conciliat. „Nihil," id sibi vult Petrus, „nihil haec Ejus mors impedit, quomi„nus Eum legatum divinum habeatis; Deus sic con„stituerat; ad munus absolvendum mortem subire de„bebat; adeoque justa adest causa, cur Deus Ipsum „haec pati voluerit. Quodsi de divina Ejus legatione „etiamnum dubitatis, deque singulari favore ac cura, „qua Deus Ipsius personam et fata prosecutus fuerit, „sciatis, vos *τοῦτον* sustulisse,"

Sect. 24.

Ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου; καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ·

„Jam criminis atrocitatem perpendatis, quod com„misistis in Virum, de quo, praeter modo laudata „specimina, ingens hoc atque admirabile suae virtutis „documentum edidit Altissimus. Ex hocce enim in„telligitis, non tantum unum ex Prophetis illum fuisse, „sed singularem prorsus, magnitudine ac excellentia „conspicuam personam." Quis est, qui in his Apostoli verbis, prudentem ac vere oratoriam rei suae exponendae methodum non miretur, observetque pulcherrimam *κλιμάκα* ex ipsis elucentem? Omnium aures animosque magis magisque constringit ad audiendum, quis tandem ille *Nazarenus* fuerit. „Deus „Hunc ex morte revocavit," in hoc, quod nostra sectione habetur, jam omnis rei cardo vertitur. Hoc divinae majestatis documento efferendo, Jesu personae dignitatem mirifice evehit, viamque sibi parat ad probandum, in hoc Nazareno eventu comprobata esse Prophetarum vaticinia, adeoque Eum non tantum virum divinum esse, sed ipsum *Messiam*. Laeto huic nuntio confirmando allata deinceps vaticinia inservire debent. Quibus de sententiarum nexu in antecessum monitis, de singulis videamus.

Pronomen relat. *ὃν* referimus ad praecedens *τοῦτον*, Sect. 23, h. m. *τοῦτον — ἀνείλετε, ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε.* Acerba sic oritur antithesis, quam consulto efficere voluisse mihi videtur Apostolus, ut facti atrocitatem, Deique indignationem auditores intime persentiscerent.

Ceterum, verbum ἀνέστησε h. l. uti et Sect. 32 vertendum esse, *ex morte revocavit*, luce clarius contextus docet. Saepius autem, hoc significatu, ἐκ νεκρῶν vel simile quid apponitur [1]). Quae jam sequuntur verba λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, explicatu difficillima, summum interpretum pepererunt dissensum. Primum autem videndum est de vera lectione, quod ad verbum θανάτου. Scilicet pro hocce, ex Psalm. XVIII: 4 sumto, Codex *Steph.* et *Cant.* uti et nonnullae versiones, legunt ᾅδου, quam lectionem item tuentur nonnulli Patres. Hinc Millius, cui assentit Griesbachius, putavit vocem θανάτου habendam esse interpretamentum, quod sensim ex margine in textum irrepserit. Attamen ét ipse, ét Wetst., Lachm., Tischendorf. vulg. lectionem retinuerunt. Quae mihi etiam omnino retinenda videtur, *primum* hac de causa, quod in plurimis non tantum, sed optimis iisdem, inveniatur Codicibus; *secundo*, quia nullo hujusmodi interpretamento opus fuerit, si vel maxime verbum ᾅδου olim in textu exstitisset. Etenim, ᾅδης Graecis scriptoribus saepe est: *conditio mortuorum* s. locus obscurus et lumine carens, quo nihil nisi *mortis status* indicatur. Hic *mortis* significatus Alexandrinis etiam interpretibus familiaris est, quocirca legentibus ignotus esse non posset. Quid? quod in N. T. haec *mortis* notio, voci ᾅδου tributa, recepta est, uti videre est ex Apocal. I: 19 et XX: 13, 14, ubi ᾅδης et θάνατος conjunguntur. Utraque igitur voce idem significante,

---

1) Quantum sensus discrimen verbum ἀνίστημι, nude positum, subinde parere possit, videre est in Doct. Proes dissert. laud. p. 25-28.

non intelligitur, quare interpretamenti causa haec vel illa margini adscripta fuerit; quod nisi obtinuit, altera utriusque irrepsisse non potuit. Videtur potius in laudd. Codicibus et Verss. vox ἅδου in verbi θανάτου locum migrasse ex Sect. 27, et Psalmo XVIII: 5, ubi ὠδῖνες τοῦ ἅδου memorantur. Sed de his jam monere sufficiat, idque eo magis, quod sensus manet idem, sive θανάτου legas, sive ἅδου. — Accedimus igitur ad verba λύσας τὰς ὠδῖνας, in quorum expositione mirum quantum a se invicem abeunt interpretes. Scilicet sumtae sunt hae voces ex Psalm. XVIII: 4, ubi habetur: חֶבְלֵי־מָוֶת, quorum interpretationem continent. Jam oritur haec quaestio: estne Alexandrinorum vocabulum ὠδῖνες, Hebraico חֶבְלֵי respondens, vertendum per *dolores*, an vero per *vincula, funes?* A diversa hac vocis interpretatione tota diversarum sententiarum farrago pendet. Itaque argumenta excitemus, quae ab utraque parte afferuntur. Qui *dolorum* interpretationem tuentur, uti Calvinus, et acerrimus illius propugnator Kypkius, quocum faciunt Morus et Meyerus, provocant, *primo* ad propriam vocis ὠδῖνες significationem, quippe quae usurpetur de *doloribus*, et hoc sensu semper a Graecis adhibeatur; *porro*, ad verba λύειν et κρατεῖσθαι, quae, ut verba constringendi, de *doloribus* maxime frequententur; *tandem*, tautologiam adesse dicunt, si vertas *vincula;* quum nihil, de ipsorum mente, differant ἀνασπῆσαι et λύειν τὰς ὠδῖνας (*vinculorum* sensu) τοῦ θανάτου. Praeterea contendit Kypkius in laud. Psalmo, חֶבְלֵי vertendum esse *dolores*. His praecipue

argumentis nisi, laudd. aliique viri de *mortis doloribus* haec verba sumenda esse jubent. Sed habent alterius sententiae patroni, quibus laudata argumenta enervent; quorum vi et pondere me cogi, ut cum his faciam, qui *vincula* mortis vertant, candide profiteor; quamquam Wettius apodictice hanc interpretationem contemtim rejiciat; cujus reliqua de his verbis disputata a perspicuitate non valde se commendant. Argumenta igitur, quibus inductus sum, ut cum Wolfio, Heumanno, Heinrichsio, Kuinoelio, Olshauseno, assentiente Ruhnkenio [1]), vertam *vincula mortis*, haec sunt: *primo*, etsi facile damus, nusquam apud profanos scriptores vocem ὠδῖνας, nude positam, hoc significatu apparere, Alexandr. tamen interpretes hoc sensu, illam usurpasse contendimus; nam חֶבְלִים, cujus primaria notio est *funes*, *vincula*, secundaria *dolores* [2]), illi interpretes, ubi de *vinculis* occurrit, verterunt modo per σχοινία, *funes*, modo per ὠδῖνας. Sic, e. g. Psalm. CXIX: 61, σχοινία, sed Psalm. XVIII: 4, ὠδῖνας; item Sect. 5, cujus altero membro parallelo legitur מוֹקְשֵׁי, quod *funes* denotat. Sic quoque Psalm. CXVI: 3 et 2 Sam. XXII: 6 verterunt חֶבְלֵי per ὠδῖνας. Videtur nobis iccirco vox ὠδῖνες annumeranda iis vocabulis Graecis,

---

1) Summus hicce vir ὠδῖνας pro δέσμοις poni putat, ex Alexandrinorum interpretum more.

2) Conf. Winer in *Lex.* ad vocem חבל; ubi docet, חֶבֶל, *dolorem* speciatim parturientium significantem, a prima *constringendi* significatione originem ducere.

quibus nova potestas ab Alexandrinis interpretibus tributa est, admonitis usu vocabulorum Hebraicorum. *Secundo*, quamquam item damus, λύειν et κρατεῖσθαι a natura dolorum non abhorrere, auctoritate tamen Ernestii, Fischeri, Storrii, aliorumque, dubitandum est, quin apud ullum antiquum scriptorem nomen ὠδῖνας ita verbo λύειν adjunctum inveniatur, ut λύειν ὠδῖνας significet *solvere dolores;* imo potius *vincula* sunt cogitanda, quibus verba λύειν et κρατεῖσθαι optime conveniunt, quum quidem ad *dolores* non ita facile transferri possint. *Tertio*, injuste monet Kypkius, tautologiam oriri, si vertas *vincula;* nam Deus, (id sibi vult Apostolus), *ita* Jesum excitavit e morte, *ut dilueret mortis vincula. Quarto*, gravissimum his argumentum accedit ex eo petitum, quod *dolorum* explicatio summis premitur difficultatibus, rei, de qua hîc agitur, naturae ratione habitâ. Quid? quod, hac interpretatione assumta, commodum Apostoli verbis sensum tribuere nequeas, unde mirum explicandum erit discrimen, quod inter hujus interpretationis patronos, de illius sensu constituendo, animadvertitur. Et profecto non facile intelliges, quomodo Christus resurrexisse dicatur, solutis *mortis doloribus*, siquidem mors omnium cruciatuum, quibus obnoxius fuit, finis habenda est. At vide jam, quam varia hujus difficultatis expediendae conamina instituerint. Scilicet Calvinus, Kypkius, alii, probe sentientes de doloribus, quos Christus mortuus expertus sit, sermonem esse non posse, intelligunt dolores *mortem antecedentes*, horrendos cruciatus, quos corpore et animo Sospitator subierit. Ast vero de his

non agit Apostolus; agit autem de tempore inter ipsam Christi, in crucem acti, mortem Ejusque resuscitationem intermedio; de ipsa *morte* praecedenti Sect. jam monuerat. Pejus etiam agit Morus, vertens: *dolores letales*, eosque non corporis, sed animi intelligens; quibus non tantum ultimum *ἀγῶνα*, sed omnes omnino molestias et incommoda morti annexa, se spectare dicit; quid? quod *finire dolores mortis*, idem esse dicat ac *revocare in vitam.* Videtur ergo hicce vir in ipso mortis statu, Jesum doloribus obnoxium sibi cogitasse. Quasi Servator noster, exantlato crucis supplicio, dolores sustinuerit, ac mors omnium laborum *finem* non constituerit! Profecto, assumta illa sententia, non longe abest, quin in *Pontificiorum* castra transire videamur, *dolores infernales*, ab anima Christi, eo proficiscente, perpessos hîc intelligentium. Sed piget jam, plures hujusmodi contortas, ac longius etiam quaesitas sententias in medium proferre. Nobis, uti vidimus, subscribentibus interpretationi, quae *vincula* cogitanda monet, exponendum est, quid per illa intelligi velimus. Haudquaquam facimus cum antiquioribus nonnullis interpretibus, qui per *vincula* s. *funes* respectum haberi volunt ad fascias et vincula sepulcralia, quibus Judaei aliique populi mortuos suos constringere solebant; quam opinionem abunde refutat Wolfius; neque etiam eorum subscribimus explicationi, qui per *vincula* agmina hostium carnificum et sepulcri custodum intelligunt, quae sententia ne refutatione quidem indiget; nam illorum *fuga* non resurrectionis causa fuit, sed haec illius. Restat igitur ea, quam nostram facimus, explicatio, qua, in mentem

revocatâ imagine, sub qua *mortem* Hebraei sibi repraesentabant, *venatoris* scil., retia tendentis hominesque captantis, τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου accipiamus de *mortis statu*, in quo Christus per triduum mansit, vinculis veluti constrictus, ταῖς ὠδῖσι τοῦ θανάτου, quas solvit Deus. Figuratum igitur dicendi genus cum hîc obtineat, nulla causa est anxie inquirendi, quid ὠδῖνες illae indicent. Tantum addimus, sedulo cavendum esse, ut imagine abusi, vincula illa mortis exponamus de quodam tyrannico mortis jugo, funestoque in Christum dominio; in quem errorem adducti sunt nonnulli, fulti Pauli Apostoli verbis, Rom. VI: 9, ubi hic Christum, ex mortuis resuscitatum, non amplius mori dicit, addens: θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει; cum illud οὐκ ἔτι, de eorum opinione, referendum sit ad id, quod praecesserit. Diserte autem huic assertioni obstat locus Hebr. II: 14; ubi διὰ θανάτου, *per mortem*, destruxisse eum, qui mortis habebat κράτος, Servator proponitur. Quod cum verum sit, utique in ipsa sua morte sub Diaboli mortisque dominio subjectus fuisse Christus dici non potest. Non concinnit enim, sed plane absurdum est, contendere subjectum esse in morte mortis dominio, et per mortem mortis κράτος abolevisse. Quid? quod Petrus ipse ex morte resurrexisse Christum dicit, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ; quod quidem κρατεῖσθαι cum absolutum imperium inferat, significatur, fieri non potuisse ut mortis vinculis captus teneretur, mors in Christum dominaretur. Ex pleno pectore hanc veritatem praedicat Apostolus; nam resuscitatum Jesum ipsam ζωὴν καὶ ἀνάστασιν

esse crediderat et professus fuerat; adeoque a morte Hunc superari non posse intime persentiscebat; tum etiam probe sciebat, Christi morte fractam esse mortis vim; quibus accedebant *vaticinia* de Christi resuscitatione, eventu illa comprobanda. Hoc ultimum ad *Messiaticam* Jesu dignitatem in luce ponendam et vindicandam, inpraesentiarum extollit. Jam κλίμαξ animadvertatur efficacissima in orationis progressu conspicua. „Quem crucis morte mulctari sivistis, Ipse ille est, quem Deus ex morte revocavit, mortis statum diluens. Ne autem ex hoc divinae majestatis documento tantum efficiatis, singularem Eum divinitus missam personam fuisse, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε, πλεῖον Σολομῶνος [1]). Nam aliter fieri non potuit, quin ex morte revocaretur; quippe qui mortis imperio subjectus esse non posset. Causam quaeritis? Sciatis, ὃ *Israëlitae!* in Hoc compleri debuisse Davidis illud de Christo vaticinium, quo Hunc e morte revocatum iri annuntiat. *Messiam* adeo vestrum fuisse, quem cruci affixistis, inde efficiatis. Hic Jesus *Nazarenus*, Ille Ipse est, de quo cecinit David!" Huic lacto nuntio praedicando diu immoratur Apostolus. Jesum hunc *Nazarenum*, e morte resuscitatum, esse Messiam, de hoc auditoribus constare debet; hoc comprobandum, hoc firmiter animis infigendum. Nullam profecto hujus scopi attingendi aptiorem certioremque viam ingredi potuisset, quam hanc, quam sequitur Apostolus; quâ nempe V. T. *vaticiniis* omnem

1) Sic scribendum esse, non vero Σολομῶντος, probat Winerus, *Gramm.* pag. 65.

demonstrationem superstruit. Totum autem Davidis effatum in medium affert; ea quoque verba allegans, quae ad praesens propositum minus necessaria videri possint. Est vero illud explicandum ex ardenti hilarisque nuntii pleno quasi animo; cui nuntio ut fidem habeant auditores, omni modo efficere studet. Caret veluti verbis, quibus *ἀναστάσεως* momentum ob oculos ponat; ac tanquam doctrinae Christianae caput, sincera fide amplectendum, Messiam redivivum annuntiet commendetque. Sed orationis telam jam recuperemus, in Apostoli verbis explicandis pergentes:

Sectio 25.

Δαβὶδ γὰρ λέγει εἰς αὐτόν· Προορώμην τὸν Κύριον ἐνώπιόν μου διὰ παντός, ὅτι ἐκ δεξιῶν μου ἐστὶν, ἵνα μὴ σαλευθῶ.

Illud *γὰρ* causam indicat, quare *οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι* Jesum a morte. Hic scilicet erat, de quo vaticinatus fuerat regius Propheta, adeoque *Messias*. Si hoc, utique resurgere debebat, quippe quod Prophetae vaticinium eventu carere non posset. Antequam vero Davidicorum verborum expositionem aggredimur, nonnulla praemonenda sunt. Ac *primum* quidem, quod ad illud: *εἰς αὐτόν*. Scilicet Calvinus, Wolfius, Kypkius, Heumannus, Morus, Kuinoelius haec verba vertunt: *de illo*, ob Hebraicam particulam אֶל, vel, quod malunt, ob frequentem usum voculae *εἰς* apud scriptores Graecos, quo item *de* significet. Wettius autem et Meyerus contendunt, verti debere hanc formulam: *auf ihn hinweisend*,

in eum respiciens. Recte vero Valckenaerius nobis monere videtur, rem eodem redire, utrum vertas: *in eum*, an: *de eo.* Nam ex utraque interpretatione id sequitur, Petrum dicere voluisse, Davidem non de *se ipso*, sed de *Messia* verba fecisse; non sui ipsius rebus illum intentum fuisse, sed iis, quae ad *Messiae* personam pertineant [1]). Attamen hanc Petri mentem fuisse, cum formulam *λέγει εἰς αὐτὸν* usurparet, non omnes laudd. viri tibi concedent. Etenim Kuinoelius aliique, monitu usi Eckermanni, dicunt, formulam *λέγειν τι εἰς τινά* in N. T. adhiberi, ut denotet: verbis uti, quae non proprie de aliquo agant, sed ad illum accommodari possint; adeoque hanc formulam, nostro loco, ita esse explicandam: „Valent de Christo sensu sublimiori, quae proprio „sensu de Davide Ps. l. l. dicta sunt;" quam sententiam iis fulcire conantur argumentis, quae afferunt ad probandum, Psalmum XVI de Messia exponi non posse, sed referendum esse ad fata Davidis. Laudatae vero virorum illorum sententiae multa obstant, quae, tanquam vaticinium proprie sic dictum, Petrum Psalm. XVI considerasse clare doceant; nostramque de formula *λέγει εἰς αὐτὸν* sententiam confirment. Etenim observandum est *primo*, Apostolum, solenni hoc die probaturum, non fuisse *δυνατὸν κρατεῖσθαι ὑπὸ τοῦ θανάτου* Jesum illum *Nazarenum*, idque

1) Winerus, pag. 377, docet, praepositionem *εἰς* cum Accus. usurpari: »von der Richtung des Geistes;" nostrum locum adducens atque vertens: *auf ihn zielend.* Cf. etiam Glassius *Phil. Sacra.* pag. 486.

quidem demonstrando, in Eo comprobata esse eventu Prophetarum de *Messia* resurrecturo vaticinia, illum, inquam, adducere Psalmum XVI; quem igitur, nisi ipse ad *Messiam* promissum, sed ad Davidem retulerit, non Spiritu veritatis, sed mendacii afflatus et impostor habendus est, indoctam multitudinem blandis verbis decipere conans. *Secundo* accommodationi obstat ratio, qua hoc Psalmo utitur Apostolus; etenim diserte monet, non de Davide, sed de *Messia* dicta esse explicanda, imo de Davide explicari ea non posse, quod allatis argumentis probat; cf. sect. 29. *Tertio*, luce clarius patet e sectt. 30 et 31, Apostolo quam persuasissimum fuisse *prophetam* agere Davidem in laud. Psalmo; unde propheticâ revelatione Deique jurisjurandi de *Messia*, ex stirpe ipsius regiâ prodituro memorem, eum locutum esse dicit, imo προϊδόντα de Christi ἀναστάσει verba fecisse, aperte declarat. *Quarto*, huc accedit quod, eodem, quo Petrus, veritatis Spiritu ductus, Paulus Act. XIII: 35, 37, eadem ratione Psalmum ad *Messiam* refert; secus sentientes oppugnans atque ex vatis verbis disertam argumentationem ducens [1]). Cujus sancti viri testimonio eandem, quam Petrus annuntiat, veritatem redolenti, ipsius Sospitatoris testimonium accedere, non immerito summi quidam viri statuere videntur; ubi existimant, haec Davidis verba, quibus tantam vim tribuunt Apostoli, de quibus firma adeo persuasione loquuntur, ad eos V. T. pertinuisse locos, quorum sensum Magister redivivus ipsis aperuerit, Luc.

1) Cf. Doct. Proc. Disp. laud. pag. 37.

XXIV : 27 et 44-46. Nimirum, ubi sectt. 44-46, Servator docet, ipsam suam resurrectionem in V. T. annuntiatam esse, quonam quaeso vaticinio adducendo magis dilucide discipulis hoc ostendere potuit, quam ipso illo, quod Psalmo XVI exstat? Quid? quod *quinto*, Psalmo in se spectato, per accommodationem uti Apostolus non potuit. Nam, recte monente Hengstenbergio [1]), si ad *Messiam* eum refers, de resurrectione mentionem injici animadvertes; sin vero ad Davidem, sermo esse tibi videbitur de liberatione ex magno quodam periculo; nullusque amplius relinquitur locus subliniori q. d. illi sensui, quo ad *Messiam* eum referas. Petrum ergo, de resurrectione Christi Psalmum explicantem, Messianum hunc habuisse, inde sponte sequitur.

Haec, quibus accommodationis sententiam impugnare conati sumus, argumenta, partim in eos etiam valent, qui mediam quandam viam ingredi tentarunt, uti Calvinus, Grotius, Steudelius [2]), alii. Hi scilicet viri partim de Davide, partim de *Messia* Psalmum explicant; existimantes, proprium hujusce subjectum ipsum habendum esse auctorem, in quem omnia optime quadrent; simul vero monentes plura huic Psalmo inesse, quae non nisi improprie de auctore valentia, in *Messia* demum omni sua vi atque ambitu repleta sint; quaeque enuntiaverit auctor Spi-

1) l. l. pag. 158.

2) Vid. ejus Disquisitio in Psalm. XVI, Tubing. 1821. Horum sententiae adstipulari videntur *cum* Olshausenus, ad l. *tum* Tholuckius, in Comment. ad Hebr. *Beilage* I. pag. 24; notâ.

ritus s. afflatu, quem eatenus in ipso operatum fuisse dicunt. Hanc vero interpretandi rationem a Petri mente aeque alienam esse, eadem docet Apostoli allegandi et explicandi methodus, *absolute*, uti vidimus, ad *Messiam* Psalmum referentis, et quamcunque hujus rationem ad aliud quoddam subjectum de industria oppugnantis.

Quandoquidem igitur luculenter patere videtur, Apostolum neque Psalmum ad *Messiam* accommodasse, neque mediam quandam interpretationis viam inivisse, sequitur absolute *Messianum* Psalmum existimasse Petrum; adeoque verbis *Δαβὶδ λέγει εἰς αὐτὸν* significasse, Davidem laud. Ps. vaticinium, proprie sic dictum, de *Messia* edidisse, idque quidem ita ut, *Messiae* personam induens, Hunc loquentem induxerit [1]); quod quam proprium sit poësi Orientali, ne dicamus Propheticae, videre est apud Hengstenbergium, variis exemplis illud probantem [2]). Nos igitur agnoscentes auctoritatem Petri, Spiritu s. collustrati, imo ipsius Christi, qui Spiritum veritatis Apostolis promiserat, Cujusque V. T. vaticiniorum interpretandorum rationem sequebantur, *Messianum* Psalmum habemus; cujus praeterea èt argumentum èt ratio nihil habent, quod contortae explicationis speciem Messianae interpretationi indueret [3]); contra vero *Apostolicae* expli-

---

1) Vid. Overdorp, Op. laud. II, pag. 51; et III, pagg. 249, 250 et 264 seqq.; item *Godgel. Bijdr.* 1821, pag. 394.

2) l. l. I. 1, pagg. 154 et 155. Cff. item quae monet Clar. Pareau, *Inst. interpr. V. T.* P. III; S. III; Cap. II, § 5, Obs. 6; coll. § 4, Obs. 3; 1.

3) Vid. Hengstenberg, l. l. pagg. 158-163.

cationis veritatem haud parum confirmant, uti ex insequentibus patebit. Ceterum, si quaedam inessent, illam prementia, quod minime damus, plane assentiremur Hengstenbergio, monenti praestare, ignorantiam profiteri eâ, quae Christianum interpretem decet modestiâ, quam erroris accusare Apostolum, divina luce collustratum; aut cum Meyero statuere: Petrum *nach Judisch-Hermeneutischer Licenz*, rabbinica ratione Psalmum ad *Messiam* traxisse.

Laudat Apostolus verba Psalmi XVI: 8-11, secundum LXX, levi tantum mutatione. Ultimae sectionis clausulam omittit.

His praemissis ad Messiae verba, per os Davidis prolata atque ab Apostolo allata, interpretanda nos accingamus. *Προωρώμην κ. τ. λ.* Quae de inconcussa sua fide, divino favore laetaque exspectatione, sectionibus praecedentibus jam monuerat; hîc et in sequentibus iterum ab Oratore celebrantur. *Προωρώμην* a *προοράν* [1]), *providere; sibi proponendo intueri aliquid*, scil. mentis oculo; *διαπαντὸς* scil. *χρόνου*, quod in Graeca versione et in N. T. semper sub *διαπαντὸς* est intelligendum; ceterum, pervulgata haec est ellipsis, uti *διὰ βράχεος*, *πολλοῦ*, etc. [2]); *ἐνώπιόν μου*, *ante meam faciem;* tanquam coram me praesentem. „Nunquam non," id sibi vult Orator, „religiosa Do„minum erga mente gaudebam; oculos in Eum inten„tos habebam." Nitebatur vero haec sancti Oratoris

1) De hoc verbo προοράν cum Hebraico שׁוּה collato, vid. Vorstmannus, in *Specimine inaugurali*, 1829. pag. 77-84.

2) Vid. Bos in *Ellips.* pag. 255.

erga Dominum suum pietas certissimâ conscientiâ, semper Ipsi Dominum praesentem adesse. Haec enim vis causalis est τοῦ: ὅτι, uti recte mihi monere videtur Meyerus. — ἐκ δεξιῶν μου ἐστὶν; sub δεξιῶν intelligatur μέρων sive μερίδων. Imago sumta est de judicio, ubi advocati ad clientium dextram stabant ' Psalm. CIX: 31; inest igitur huic formulae tuendi et defendendi notio; ἐκ sensu locali ponitur [1]), *a parte dextra mei*, mihi adjutor adest. — ἵνα μὴ σαλευθῶ, Hebr. בַּל אמוט; illud בַּל Wettius aliique vertunt: *non;* Meyerus aliique: *ne;* cum his potius facimus, quia sic orationis gravitati, ob quam Winerus [2]), particulam בַּל universe verti malit *non*, n. l. nihil detrahitur, et contextus Meyeri versioni favere videtur. Σαλευθῶ; a σάλος, *jactatio*, peculiariter maris fluctuantis motus, derivatur σαλεύω, quod speciatim de navibus, in mare fluctuantibus, adhibetur, in genere de qualibet violenta agitatione dicitur, monente clar. Ruhnkenio; ergo ἵνα μὴ σαλευθῶ denotat: *ne violenter movear*, *ne fluctuer*. Quae si ita sint, non assentiendum videtur Meyero, sensum exhibenti: „damit ich „in meiner glücklichen Situation fest beharre;" nam haec sequela erat τοῦ: μὴ σαλευθῆναι. Jam vero, quis in expositis Oratoris verbis non observat fidem inconcussam, *Jehovae* adstanti habitam? Quis miretur, intimam illam beatamque cum Deo necessitudinem divinum Oratorem *tum* tranquillitate ac laetitia, *tum*

1) Cf. Winer *Gramm.* pag. 351.

2) Cf. ad v. בַּל.

securitate ac robore, quoad futuram corporis animique sortem, implevisse? Qua quidem felicissima conditione Illum gavisum fuisse sequentia docent verba:

Sect. 26.

Διὰ τοῦτο εὐφράνθη ἡ καρδία μου, καὶ ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσά μου· ἔτι δὲ καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι.

Διὰ τοῦτο; ob inconcussam, quam Domino habeo fidem, indeque ortam intimam cum Ipso conjunctionem, *εὐφράνθη κ. τ. λ.* In textu Graeco, in Codd. A. D. E. aliisque legitur *ἠϋφράνθη* quae scriptio nonnullis videtur accuratior. Monet autem Valckenaerius [1]), nihil interesse, sic scribatur an *εὐφράνθη*; quum in talibus, (scil. in verbis ab *εὐ* inchoantibus), non in sermone tantum quotidiano, sed et scribentes Graeci augmentum omitterent. Verbum *εὐφραίνομαι* formatur ab *ἔυφρων*, *bona mente praeditus*; haec prima vocis est potestas; hinc ducta est altera notio: *laeta mente praeditus*, unde *εὐφραίνεσθαι laetus reddor* [2]). Insequentia verba *ἡ καρδία μου*, לִבִּי, simplicis prono-

1) In *Scholis* ad l. p. 359 et 360. Cf. etiam de hac voce ejusque augmento, Winer l. l. pag. 68, ubi *ἠϋφράνθη* forte praeferendum monet, secundum LXX.

2) Ammonius, de *differentia verborum Graec.* pag. 63 observat, *Platonem* verbo *εὐφραίνεσθαι* semper usum esse de *animae* delectatione, quae ex artibus doctrinisque oritur; verbo autem *ἥδεσθαι* de ea, quae *corpori* per sensus externos affertur. Ceterum eâdem ratione, qua Hebraeorum poetae שִׂמְחָה et גִּיל, Alexandrini quoque *εὐφραίνομαι* et *ἀγαλλιάομαι* conjungere solent, docente Vorstmanno, l. l. pag. 92.

minis *ego* vim sustinere, uti et sequentia ἡ γλῶσσά μου et ἡ σάρξ μου, visa sunt Kuinoelio, ex more Hebraico; cujus tamen assertioni calculum adjicere non possumus. Etenim docet Winerus [1]), nullum in N. T. esse locum, quo his verbis cuique sua vis ac potestas non sit tribuenda; imo et in V. T. certo quodam significatu plerumque verba illa obtinere, ne dicamus de diserto sensu, quo apud profanos etiam scriptores occurrant. Haec propter nostro loco vocem καρδίαν, (nam de binis reliquis mox suo loco agemus), cum Meyero vertendam ducimus: *cor*, atque sumendam de sede principii sensitivi. Καὶ — γλῶσσά μου; verbum ἀγαλλιάομαι, monente Ruhnkenio, interpretibus Alexandrinis maxime usitatum est, significans, *vultu* vel *motu corporis laetitiam prae me ferre gestio*; quae vis desiderativa multis verbis, in αω productis inest. De insequentibus verbis ἡ γλῶσσά μου, quibus LXX verterunt Hebr. כְּבוֹדִי, *gloriam* inferens, maximus inter Viros dd. dissensus exstat. Scilicet Calvinus, Wolfius, Michaëlis [2]), quibuscum dubitanter Heinrichsius, suspicati sunt, hîc insigniri *linguam*, nomine כָּבוֹד, propterea quod nobilior sit corporis pars, qua bestiis antecellimus; quem in finem provocant ad Ps. XXX: 13 [3]) aliosque locos; quibus tamen *animi* notio commode servari posse videtur, qua item occurrit, Gen. XLIX: 6; Ps. VII: 6 [4]), alibi.

---

1) *Grammat.* pag. 148, Ann. 5.

2) *Krit. Coll. über die drey wichtigsten Psalmen von Christo, den* 16, 40 *und* 110; Francof. et Gött. 1759; ad l.

3) Vid. Palmius ad l.

4) Vid. Wettius ad Ps. et Wineri Lex. in voce.

Aliam viam ad hujus τῶν ὁ versionis originem explicandam ingressi sunt Kuinoelius, alii, judicantes, pro: כְּבוֹדִי legisse Alexandrinos לְשׁוֹנִי, quod item conjicit Olshausenus. Meyerus nodum secat, dicendo, Alexandrinorum interpretationem arbitrariam esse expositionem verbi, ab ipsis non intellecti. Quidquid hujus rei est, quam penitius indagat Doct. Vorstmannus [1]), nobis cum Wettio, Moro, Overdorpio [2]), aliis, vox כָּבוֹד omnino vertenda videtur δόξα, *gloria*. Est enim haec propria Hebr. verbi notio, commodumque n. l. sensum praebet. Scilicet כָּבוֹד, *gloria*, usurpatur de hominis parte potiore ac digniore, i. e. *animo*; adeoque idem denotat atque נֶפֶשׁ [3]); quamquam in utriusque verbi usu et hoc observandum est discrimen, quod כָּבוֹד in locis S. C. poëticis dicendique stylo sublimiori adhibeatur, ubi cumulantur locutiones atque sententiae graves; tum etiam significantior sit et plus in se comprehendat. Ceterum, Parallelismus item postulat ut vertamus: *mens*, *animus*; nam similia subjecta similibus praedicatis apponi solent. Quae si ita sunt, haec sibi vult Orator: *et mens mea gaudio exsultat*, laetitiam suam exprimere studens. Intelligatur hîc hominis principium spirituale,

---

1) pagg. 89-91 diss. laud. Suspicatur doct. hicce vir, antiquissima jam aetate, librarios, per locorum Ps. LI: 19 et CXXVI: 2. similitudinem, in eum incidisse errorem, ut γλῶσσα pro δόξα scripserint.

2) Disquisit. laud. III. pag. 277.

3) Cf. Wettius ad Ps. VII: 6, ubi plures afferuntur loci, quibus *animi* notio voci כָּבוֹד est substernenda. Vid. etiam Wineri lex. in voce.

animus immortalis; nam recte monet Winerus, taediosam exstituram laxamque paraphrasin iis in locis, quibus נֶפֶשׁ, כָּבוֹד, *ψυχὴ* non animum tantum, sed totum hominem spectare censerentur, subaudito corpore; atque sic iterum nos opponimus Kuinoelio, simplicis pronominis *ego* vim huic item voci adsignanti. Alexandrini interpretes vertentes: *γλῶσσα*, fortasse sensum clariorem reddere voluerunt, cum lingua instrumentum quasi sit, quo laetitiam suam effundit animus.

Jam celebrata laeta, ex fide oriunda, animi conditione, in hac ulterius praedicanda pergit Orator, inconcussa memoranda spe hilarique exspectatione, quam, quoad futuram suam sortem, fovebat. *Ἔτι — ἐλπίδι. — ἔτι δὲ καὶ*, Hebr. אַף, *imo etiam; ἡ σάρξ μου*; haec verba simplicis pronominis *ego* vim sustinere minime censenda sunt; sed proprio sibi sensu accipienda de *carne*, adeoque de *corpore*, opposito *animo* [1]); *κατασκηνώσει*, a *σκῆνος* derivatum, proprie significat *in tentorio esse* vel *tabernaculo;* deinde transit in generalem notionem *habitare*, *commorari*, docente Ruhnkenio; *ἐπ' ἐλπίδι*, Hebr. לָבֶטַח, *secure;* praepositionem *ἐπὶ* cum Dat. fundamentum exprimere, quo aliquod nitatur, monet Winerus [2]), nostrum locum adducens atque vertens: *mit, in Vertrauen (auf Gott)*, adeoque *secure, placide;* quocirca haec verba Hebraico לָבֶטַח plane respondent.

1) Cf. Wettius et Palmius ad Ps. XVI: 9.
2) *Grammat.* pag. 400.

His autem, quod ad Grammaticam verborum rationem attinet, praemissis, de eorum sensu, ex Petri mente, constituendo, non magna esse potest ambiguitas. Etenim, obversatam fuisse divino Oratori sepulcralis quietis securitatem, luce clarius est. Namque arctissime conjuncta illa sunt cum iis, quae in sequenti sectione 27 habentur; quae diserte ad Christi resurrectionem referenda esse Apostolus probat. Omnino sectio 27 laetae de corporis etiam futura conditione secura exspectationis causam continet, et verbis: οὐδὲ — διαφθοράν, sect. 31, Oratoris spem in Deo repositam non fefellisse eventum demonstrat Petrus. Et profecto, non facile intelligitur, quo jure Kuinoelius et Vorstmannus [1]), de immunitate ab omni periculo, vel de securo somno, vel de terrestris felicitatis fastigio hîc sermonem esse contendant, provocantes ad Psalm. IV: 8 et 9; nam h. l. longe aliam rem tractari, inter alios probavit Overdorpius [2]); neque etiam quomodo Meyerus verba ἐπ' ἐλπίδι vertens: *hoffnungsvoll*, ea explicare possit, „noch lange zu leben hoffend;" de vitae longioris spe sermonem injici putans. Nam hunc sensum verbis laudd. inesse, Grammaticâ viâ non facile elucescet. Concedit autem hicce Vir ex *Apostoli* mente, de sepulcrali *Messiae* quiete hîc agi.

Proponitur igitur hac sectione divinus Orator laetitia gaudioque suffusus, ex firmissima fide, Deo sibi praesentissimo habitâ, ortis; qua fiducia plenus, corporis etiam curam Dominum habiturum providebat

---

1) pagg. 88 et 94. 2) l. l. p. 277.

certoque exspectabat. Haec vero, uti et antecedens sectio, a Palmio et Muntinghio, de Davide vel alio quodam divini favoris socio explicantur [1]), quae in se spectata sententia absurditatem redolere non dicenda esset. Attamen, illâ assumtâ, hic illic difficultates remanere non negandum est; certo, sublimior ac efficacior redditur interpretatio, si magnificum divini favoris socium, *Messiam*, hîc cogitandum esse statuas; quocirca Petrus genuinum harum sectionum sensum nobis aperuisse celebrandus est, imo hoc ipso ad totius *Psalmi* veram mentem indagandam et intelligendam viam stravisse.

Laetae beataeque, quam de futura corporis securitate sepulcrali fovebat, exspectationis fundamentum Orator exhibet insequenti sectione, ex qua *Jehovae* praesentissimam curam in mortis item statu sibi non defuturam, certissime confidisse Oratorem apparet:

Sect. 27.

Ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν.

Metu quodam hujus sectionis interpretationem nos aggredi, nemo mirabitur, qui reputet secum, quam

1) Attamen hi Duumviri de *sepulcrali* quiete verba explicanda esse diserte monent; cff. ad l. Hinc etiam efficere licet, quantopere sese commendet haec interpretatio, quippe quae ab iis etiam VV. dd. assumatur, qui hac et prace. sect. de Davide ipso agi putent. — Doct. Vorstmannus autem, pag. 94, sepulcralis quietis notionem *tum* aliis, *tum* hoc etiam argumento oppugnat, quod absurdum foret statuere, Apostolum denuo mentionem fecisse (sect. 26b) de secura Jesu quiete in sepulcro, cum jam ante (sect. 25 et 26a), Ejus fe-

multas easque plane diversas ad eam interpretandam vias inierint Viri dd. Est autem conamen instituendum; quamquam non eos certe nos praedicamus, qui omnes difficultates remoturi simus. Pro viribus igitur arduum opus aggrediamur. *Ὅτι - ᾅδου·* Verbo *ἐγκαταλείπειν* notio inest: *in aliqua conditione relinquere* [1]); respondet adeo Hebraico לְ עָזַב, cui eadem notio inest, monente Hengstenbergio [2]); Brachylogica hîc obtinet phrasis, per attractionem ita explicanda: „postquam in orcum venerit, in eo non dere„linques *τὴν ψυχήν μου.*" Haec ultima verba simplicis pronominis *ego* vim sustinere Beza [3]), Wolfius, Morus, Heinrichsius, (at hic dubitanter) et Kuinoelius contendunt, provocantes ad Hebraismum. Nobis vero cum Olshauseno, Meyero, Overdorpio, aliis, propria vocis נֶפֶשׁ, *ψυχῆς* notio omnino retinenda videtur, *tum* ob eas, quas attulit Winerus [4]), rationes, ad quas jam provocavimus ad sect. 26, quaeque adeo graves nobis quidem videntur, ut non perspiciamus, quo jure a propria vocis vi, qua princi-

---

licitatem summamque beatitudinem commemorasset. Ast vero de nostra interpretatione, sectionibus 25 et 26a de felicitatis fastigio nondum sermo fuit, et sect. 26b egregia climax animadvertitur.

1) Vid. Fritzsche ad *Matth.* pag. 818.

2) *Christ.* pag. 169. Non assentimur iccirco Hufnagelio, *Disp. in Ps.* XVI. p. 14, neque Kuinoelio, contendentibus, עָזַב cum לְ et non cum בְ compositum, significare: *tradere in;* ita ut terminus ad quem indicetur. Cf. etiam Winerus in *Lex.* ad v.

3) Vid. *Godg. Bijdr.* 1840, pag. 248, ubi item memoratur acre certamen, quod de hac voce gestum fuit inter Bezam, hujusque oppugnatores Castellionem et Boisium.

4) *Gramm.* pag. 148 et *Lex.* in v.

pium hominis spirituale, *animum immortalem* significat, recedere liceat; *tum* ob claram, quae nostrae sectioni inest, animi atque corporis antithesin, de qua mox patebit. *Εἰς ᾅδου·* codicum ABCD aliorumque auctoritate Lachmannus legit *ᾅδην*; usitatior autem cum sit lectio *εἰς ᾅδου*, probabiliter et hoc loco est retinenda; Griesbachius etiam et Tischendorfius vulgatam in textu collocarunt [1]). Ceterum sub *εἰς ᾅδου* intelligenda est vox *οἶκον*. Jam, quid haec sibi velint, inquiramus. Calvinus aliique haud multi [2]), Hebr. שְׁאוֹל, Graec. *ᾅδης* vertunt: *sepulcrum*. Huic autem versioni adstipulari non possumus, *tum* propterea quod de *animo*, uti vidimus, sermo sit; *tum* maxime ob propriam vocis vim, qua, ex V. T. sententia, locum significet, ubi mortuorum *animi* degebant, visui nostro substractum; qua poetica descriptione indicatur vitâ defunctorum status; mortis status, quo animus a corpore separatus vivit. Cum hoc

---

1) Doct. Vorstmanno *ἅδην τοῦ* LXX, *ᾅδου* Lucae propria fuisse videtur, propterea quod utraque lectio Origeni jam cognita fuerit.

2) Sic et Doct. Vorstmannus vertit *sepulcrum*, pag. 95. Vidd. autem, quae contra hanc Viri versionem pluribus monuit pl. Ven. van Rinteln, *Godgel. Bijdr.* 1829, pag. 802. — Ceterum legantur quae de voce שְׁאוֹל, *ᾅδης*, docuerunt pl. Ven. P. v. d. Willigen, *Naauwkeurig onderzoek naar de leer des Bijbels, aangaande den staat der zielen tusschen den dood en de wederopstanding der ligchamen*, *in Opp. Soc. Hag.* 1811, pagg. 15 seqq., 108–110, alibi. Muntinghe, *Gesch. d. Menschh.* III. pag. 217 et 218; ubi plures hac de re scriptores enumerantur. Add. Olshausenus et Meyerus ad Luc. XVI: 24-26. de Wette *Bibl. Dogm.* § 114. E. Meyer, in *Joël.* pag. 158 et 159 in nota; et J. F. von Meyer *Der Hades*, Francof. 1810.

mortis statu quamquam sepulcrum, quoad *corpus*, arcte conjunctum est, tamen nonnisi per consequentiam de *sepulcro* vox sumi potest. Nostro autem loco, ubi de *animo* sermo injicitur, simpliciter hujus a corpore separati conditionem intendi, sponte patet. Declarat igitur divinus Orator, *Jehovam* suum non permissurum esse, ut animus in mortis conditione derelinquatur [1]). Laeta vero haec, quam de *animo* fovebat, exspectatio, arctissime conjuncta erat cum beata illa, quae *corpori* futura erat, sorte, quamque orator indicat verbis: *οὐδὲ* — *διαφθορὰν*. De his verbis multae sunt interpretum sententiae, de quibus exposituri sumus. Verbum *δώσεις* non cum Vorstio [2]), ex *Hebraismo* est repetendum; etenim, Graecis satis usitatam esse hanc vocem eodem, quo Hebraeorum נתן et Latinorum *dare* adhibetur sensu, docet Ruhnkenius, pluribusque, ex profanis petitis scriptoribus, exemplis probat. Significat adeo: *dare*, *permitte-*

---

1) Hinc elucescit quam frustra Doctores Lat. Saec. VIII, de horribili damnatorum sede, diversa illa a limbo Patrum et a purgatorio, verbum שְׁאוֹל explicuerint, ad hunc nostrum locum inter alia provocantes; quamque vana, inde enata Pontificiorum sit opinio de J. C., ad inferos profecto, ut Sanctorum animos a limbo Patrum et purgatorio liberaret. De pugna, quae deinceps, a° 1544, gesta est inter Joh. Aepinum, qui in Comm. ad Ps. XVI contenderat, Christum ad inferos descendisse, ut ibi etiam pro hominum peccatis pateretur, atque sic demum divinae justitiae plene satisfecisse, — ejusque adversarios, lectu dignissima sunt, quae habentur in praeclaro libro: *Philipp Melanchton; sein Leben und Wirken aus dem Quellen dargestellt von* Karl Matthes, Altenburg 1841; vidd. pp. 314-316. Cf. porro Tholuck., *Beilage* II. p. 108, ad *Comment. in Hebraeos.*

2) De *Hebraismis* pag. 168.

re, *sinere*. Insequentia verba τὸν ὅσιόν σου in medias lites nos rapiunt. Scilicet pro חֲסִידֶךָ, nonnulli Judaei atque codices *pluralem* legunt: חֲסִידֶיךָ; quae lectio si vera sit, locus nec citationi, nec consilio Apostoli convenit. Wettius item pluralem retineri vult, hac unice de causa, quod haec lectio difficilior sit [1]); atque de ipsius mente orationi magis congruens, Davidem Psalmi subjectum facientis, et vertentis: *deine Frommen*, (*dergleichen ich einer bin*). Alii, inter quos Fischerus [2]), item pluralem numerum defenderunt, ita vero, ut locum *singularis* numeri obtineat, et pluralis *majestatis* (Messiaticae) habenda sit. Ad haec autem vere mihi monere videtur Doct. Proes [3]): „Verendum esse ne hoc nimis a simplici-„tate abhorreat, et conjectura sit non admodum pro-„babilis, orta ex difficultate rem alio modo compo-„nendi." Nobis quidem gravissimae adesse videntur rationes, quibus *singularis* numerus defendi possit. Ad hunc igitur tuendum provocamus, *primo* ad concinnitatem membrorum, quae postulat, ut in posteriori membro sequatur singularis, cum in priori hic praecesserit. *Secundo*, singularem habent plurimi non tantum, sed optimi iidem codices [4]), ut et versiones

---

1) Vid. Ejus *Comm. ad Psalm.* XVI: 10, notâ.

2) De *vitiis Lex. N. T.* pag. 184–189; vidd. quae hujus sententiae opponit Doct. Vorstmannus, pag. 100; ubi in falsae lectionis originem inquirit. 3) Diss. laud. pag. 36.

4) Vid. Vorstmannus, pag. 99. Jure erud. hicce Vir id inprimis observandum esse monet, quod *Chaldaica* etiam versio *singularem* numerum tuetur. Etenim, hanc Christianorum causa depravatam fuisse, nemo facile existimaverit.

Syr., Arab., Graeca et Lat., nec non editiones antiquissimae. *Tertio*, Wettii assertioni, qua pluralis numerus, quippe difficiliorem exhibens lectionem, praeferendus esset, opponere liceat, criticam hanc regulam non ita urgeri posse, ut exterarum auctoritatum vis plane enervetur; ne dicamus, alteram potius lectionem difficiliorem ducendam esse, cum *pluralis* Judaeis optimam praeberet opportunitatem, Messianam *Psalmi* indolem negandi; imo *hanc* lectionem, eum in finem, ab iis tractam fuisse, patet ex *Rabbinicis*, ab Hengstenbergio laudatis [1]), scriptis. *Quarto*, gravissimum argumentum nobis quidem peti posse videtur ex Petri Apostoli auctoritate atque agendi ratione, qua ex hoc loco Christi resurrectionem diserte probat, certa persuasione non refelli posse hoc argumentum, adeoque testatur, illo tempore *pluralem* numerum non viguisse, qua, si obtinuisset, tota Apostoli argumentatio facile refutari potuisset; quae omnia confirmantur Judaeorum silentio. Haec quidem nos movent, ut *singularis* numeri lectionem unice veram habeamus [2]). *Pluralis* lectio oriri potuit vel *fortuito*, a festinante librarii manu, qua *Jod* non ante, sed post *Daleth* poneretur, ut Ps. XVII : 7 [3]); vel *consulto*, a Judaeorum describentium manu, quo facilius Messia-

1) *Christol.* I: 1, pag. 168.

2) Cf. Heringa, *Over het gebruik en misbruik der kritiek*; in Opp. *Soc. Hag.* 1790, pag. 225 et 226; item pl. Ven. de Keizer, *Hoofddoel van het lijden en sterven van J. C.*, 1815, pag. 59 en 60, not. Muntinghe, Op laud. VI, nota 74; et Annot. in *Psalmos*; II, p. 25, ad h. l.

3) Quod suspicatur Michaëlis, in *Crit. Coll.* pag. 217.

nam Psalmi indolem impugnarent adversus Christianos [1]).

Significari hic, ex Apostoli mente, *Sanctum* Illum κατ' ἐξοχήν, *Messiam*, qui in *Psalmo* loquens inducitur, demonstratione non indiget. Jam vero, quid sibi, quoad *corpus*, Sanctus Ille exspectaret, exponendum est. *Hoc* igitur ut pateat, accurate videndum est de insequentibus: ἰδεῖν διαφθοράν. Verbo διαφθορά, Hebraeorum שַׁחַת reddiderunt LXX; ast vero de hac voce, uti et de ejus versione Graeca valde litigatur. Scilicet, Rosenmullerus, Kuinoelius, Wettius, Tholuckius [2]), Vorstmannus, alii, contendunt, hanc vocem ducendam esse a radice שׁוּחַ, *subsidere*, adeoque vertendam *foveam*, quam de *sepulcro* explicant; ita ut sermo sit de *immunitate a mortis periculo*, quod expresserit Orator phrasi: *non videre sepulcrum*. Calvinus item vertit *sepulcrum*; attamen hic *putredinis* conditionem cogitandam monet, utut arctissime cum *sepulcro* junctam; atque haec ad *Messiam* referenda esse. Nos vero plane signa sequimur Mori, Muntinghii, Overdorpii, Meyeri, Hengstenbergii, aliorumque, contendentium, haec verba non nisi de immunitate a *corporis putredine* posse explicari. Horum enim sententia non parum, quo se commendet, nobis quidem habere videtur. Jam igitur nostram sententiam vindicare conemur; secus sentientium argumenta profligare tentantes, nostraque pro nostra

1) Haec sententia est Overdorpii, disp. laud. pag. 280. In anteriori vero scripto: *Over de aanhalingen*, pag. 447 sq. Fischeri sententiae adhaeserat.

2) Comment. ad Hebr. *Beilage* I. pag. 24, nota.

sententia in medium proferentes. — *Primo*, damus omnino verbum שַׁחַת a שׁוּחַ derivatum, significare *foveam*, *sepulcrum*; iidem autem non obliviscendum censemus, obtinuisse, vigente lingua Hebraica, aliud verbum שַׁחַת, ductum illud a שָׁחַת *corrupit*, *perdidit*, adeoque significans *corruptionem*, *putredinem*; quod confirmatur testimonio antiquarum versionum, quae omnes, excepta *Chaldaica* [1]), *tum* nostro loco *putredinis* significationem exhibent, *tum* aliis etiam locis, ubi contextus quidem *foveae* significationem postulare videatur. Omnino hac potestate שַׁחַת in textu Hebraico occurrit. Nam si vel de nonnullis, ad quos provocarunt, locis, illud in dubium vocari possit, negandum tamen non videtur, hoc verbum, laudato sensu, diserte occurrere Jobi XVII: 14, assentiente Winero [2]), quo quidem loco שַׁחַת parallelum est *τοῦ*: רִמָּה, *vermis, qui ex putredine oritur* [3]). Sic et Psalm. LV: 24, magna cum probabilitate, redditur: *putredo*. Quid? quod ipse Rosenmullerus, sibi adeo contradicens, illud affirmat. Quod igitur Wettius illique assentientes monent, laudatam vocem nullibi hoc sensu occurrere, non procedit. Neque *secundo* rem suam probare censendi sunt, provocando ad Parallelismum, quem *foveae* versionem postulare dicunt, cum priori membro de alio *loco*, de שְׁאוֹל, sermo fuerit. Etenim, de nostra interpretatione, Parallelismus minime tollitur; cum verbis *ὅτι — ἄδου* idem, quoad rei summam,

---

1) De hac videatur Vorstmannus, pag. 101.

2) Vid. *Lexicon*, ad v. 3) Vid. Wineri Lex. ad v.

spectetur, atque verbis *οὐδὲ — διαφθορὰν*, hoc tantum discrimine, quod prius, uti probare conati sumus, ad *animum*, posterius ad *corpus* referendum sit [1]). *Tertio*, *putredinis* notionem tenendam esse jubet illud, quod sermo est de *mortuo*, cujus corpus, (sec. sect. 26), jam requiescit in sepulcro [2]). *Quarto*, hîc provocamus ad Petri Apostoli auctoritatem, hanc versionem tuentis, eâque omnem argumentationem superstruentis (sect. 31), ubi diserte contendit, de *resurrectione* Christi verba fecisse Prophetam, *ὅτι — διαφθορὰν*; quibus adeo clare significat, mortis conditionem *tum* quoad *ψυχὴν*, *tum* quoad *σάρκα*, sublatam fuisse; minime vero indicat, Christi *σάρκα non vidisse sepulcrum*. Profecto, quisnam inter hanc assertionem Christique resurrectionem nexus obtinuisset, equidem non video. Quid? quod Apostolus, salvâ historiâ, hoc affirmare non potuisset; quum Christi corpus omnino *sepulcro* conditum fuerit. Hae igitur rationes nos movent, ut versionem *putredinem*, tuendam esse existimemus. — Ceterum, verbum *ἰδεῖν*, Hebr. לִרְאוֹת, Lat. *videre*,

---

1) Dathe ad h. l. »Utrumque," inquit, »negat vates sibi even»turum esse; neque animae in שְׁאוֹל apud inferos, neque corporis »in sepulcro diuturnum fore domicilium;" et Meyerus ad n. l. monet: »שׁחת haben die LXX richtig *διαφθορὰν* (Vulg. *Corruptionem*) »gegeben, was dem Parallelismus treffend entspricht; und einen ener»gischern Sinn ergiebt, als durch die Erklärung *Gruft* (von שׁוּחַ) »entsteht." Vid. nota.

2) Cf. Muntinghe, Op. laud. VI, nota 73; ubi monet *Mosem Mendelsonum*, quamquam certe *Messiam* hic non cogitantem, de *putredine* vocem explicuisse. Vid. item Michaëlis, *Crit. Coll.* pag. 218-242.

Hebraeis, Graecis atque Latinis dictionem familiarem esse, pro *experiri*, *sentire*, docet Ruhnkenius [1]), adeoque phrasis ἰδεῖν διαφθοράν significat: *experiri putredinem*, *putrefieri*, *corrumpi*. Jam vero, quae Propheta hîc enuntiat, nonnisi de *Messia* valere sponte patet. Quum mortalium nemo a putredinis conditione immunis manere possit; aeque minus iccirco in Davidem, vel alium quendam effatum quadrat. „Nam „quum," quod pulcre monet Calvinus, „unus erat „de filiis Adae, illam universam generis humani sor„tem effugere non poterat: Pulvis es et in pulverem „redibis;" et paulo post: „Quisquis sani erit judicii, „facile agnoscet valere hoc argumentum: Totum hu„manum genus corruptioni Deus subjecit. Ergo Da„vid, quatenus unus erat ex hominum numero, inde „eximi non potuit. Nec vero dubium est, quin Ju„daei, apud quos habebatur haec concio, quum extra „controversiam axioma istud inter eos valeret: A solo „Christo sperandam esse restitutionem, ideo facilius „acquieverint Petri dictis, quia videbant non aliter „constare, quod verba sonant, quam si ad Messiam „ventum esset." Omnino, data interpretatione assumta, *Messianam* Psalmi indolem negare non possis. Omnes ideo, qui vaticiniis *Messianis* adhuc fidem habent, hanc saltem sectionis 10^ae^ partem secundam ad *Messiam* referendam esse firme tenent. Et Muntinghius [2]), quocum etiam facere videtur pl. Ven.

---

1) Ann. Mss. laud. Cf. etiam Glassius, *Phil.* S. pag. 842.

2) In ultima Psalm. editione.

W. Broes [1]), *priorem* sectionis partem ad Davidem referens, non nisi conjecturam hanc sententiam haberi vult [2]). Nos quoque cum sancto Apostolo credimus, Oratoris verba *οὐδὲ — διαφθορὰν*, accipienda esse de *corporis resurrectione*, qua factum est ut putredinem non experiretur [3]). Audimus ergo Illum laetissimam his verbis spem et exspectationem enuntiantem de futura *corporis* etiam sorte; prouti priori sect. parte, de *animo* illam enuntiaverat. Jehovam, in mortis conditione Ipsum non relicturum esse certo credebat, sed vero glorioso exitu Ipsius fidem coronaturum. Mortem adeo hîc propositam cernimus pro utraque ejus operatione, nempe, tum quod ad *corpus*, tum quod ad *animum*. Simul autem mortis victorem mirifice celebratum conspicimus; cujus nimirum *ψυχὴ* atro mortis imperio non subjecta relinquitur, sed ipsi erepta lucis regno redditur; cujusque *σὰρξ* mortis vim pestiferam non experitur, sed intacta ac incolumis ex sepulcro resurgit. Quae quum magnifice in Christi persona evenerint, jure Olshau-

---

1) In disput. *Het doodsoverwinningslied*, inserta diario: *Nieuw Christ. Maandschrift;* Tom. VIII, N°. 4.

2) Consuli merentur quae huic duumvirorum sententiae s. conjecturae opponit pl. Ven. Overdorpius; disp. laud. pag. 267. Palmius hanc uti et praecedentem sectionem ad *Messiam* refert.

3) Meyerus: »Du wirst," inquit, »ihn (deinen Heiligen) nicht »verwesen, sondern wieder auferstehen lassen;" et Muntinghius, Op. laud. VI, pag. 67: »David geloofde dat de gunsteling van Je»hova, d. i. de Messias, in het graf niet zoude verrotten; maar, »hetwelk hieruit van zelf volgt, uit het graf wederom levend zou te »voorschijn komen."

senus monet, huic vaticinio inter praestantissima maximeque notabilia locum designandum esse [1]).

Sed ulterius etiam progreditur divinus Orator, ea memorans, quae deinceps sibi eventura probe confidebat. Sequitur enim jam descriptio summi felicitatis gradûs, ad quem Jehova hunc suum Sanctum, post resurrectionem, evecturus esset.

Sect. 28.

Ἐγνώρισάς μοι ὁδοὺς ζωῆς· πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σου.

Ἐγνώρισας· sic *Aoristi* tempore Septuaginta vertunt Hebr. תּוֹדִיעֵנִי. Morus, Kuinoelius, Meyerus *praesenti*; Calvinus *perfecto*; Glassius, Muntinghius, Palmius, Wettius *futuro*. Quo autem cunque tempore vertatur, eodem redire nobis quidem videtur; etenim Orator, futura sibi proponens, deque iis agens, vel praesenti, vel praeterito, vel ipso futuro tempore de iis loqui potuit. Hinc non videmus, quo jure Wettius ad h. l. statuat, *perfectum* demum tempus Apostoli consilio rite inserviisse; etsi lubenter damus, *futuri* temporis versionem, Hebraicae vocis ratione habitâ, ab accuratione Grammaticâ laudandam esse, nec minus eam requirere videri praecedentia et insequens *futurum*. Sed vel sic tamen sensus idem manet, sive praeterito, sive perfecto, sive futuro

1) Cf. ad l., ubi pulcre addit: »Während nemlich sein heiliger »Leib unberührt von der Verwesung auferstand, ging seine Seele zu »den Todten; kehrte aber alsbald wieder, und erhob sich mit dem »verklärten Leibe in die ewigen Wohnungen des Lichts."

vertas tempore; spei futurae notio tolli non potest. Etenim arctus horum verborum nexus cum praecedentibus Oratoris dictis, perspicue docet, de *futura* exspectatione Ipsi jam sermonem esse; neque adeo, sive praeterito, sive praesenti tempore vertas, hanc ideam tollere censeri velles, quasi denuo Oratorem ad anteriorem vitam redeuntem tibi cogitares; quae nimirum interpretatio cum sensu poetico indoleque prophetica prorsus pugnare jure dicenda esset [1]). Verba ὁδοὺς ζωῆς Wettius aliique explicant de *via adstantis periculi effugiendi;* Kuinoelius ζωὴν eodem sensu accipiendum dicit, quo Hebraic. חַיִּים vel חַיִּים subinde frequentatur, scil. *felicitatis;* ita ut sensus sit: *tu me* (Davidem) *felicem reddis*, nempe, victoriâ de hostibus reportanda. Addit autem Kuinoelius, ex Petri mente, haec verba de Christi resurrectione esse sumenda, de vita Ipsi reddita, atque hanc Petri mentem nostram etiam facimus cum Overdorpio, Palmio, Olshauseno, aliis; quae Apostoli sententia *tum* ipsa verborum vi, *tum* contextu abunde confirmatur. Iteratis igitur verbis Orator divinus eorum, de quibus monuerat, beneficiorum certissimam exspectationem celebrat. Jehova ὁδοὺς, ad ζωὴν ducentes, Ipsi ostenderet; per atram mortis viam ad vitam gloriosam Illum duceret; ita ut per ignotam illam tramitem, viam ad vitam ducentem, experiundo doceretur [2]). Resurrectione e mortuis hoc factum est,

1) Uti recte nobis observare videtur Muntinghius, Op. laud. VI, pag. 67.

2) Ad haec Olshausenus monet: »In dem Ausdruck ὁδοὺς ζωῆς, »durchdringt sich Äusseres und Inneres; nach dem Zusammenhange

qua re ipsa divino Oratori aditus ad veram vitam patefacta est. „Significat adeo," sunt verba Calvini, „se Dei gratia receptum esse a morte in vitam. Nam „quod tanquam redivivus emersit, singulari Dei be„neficio fert acceptum. Hoc in Christo sic fuit im„pletum, ut nihil deesset ad perfectionem. Membra „vero suam habent mensuram. Itaque Christus expers „fuit corruptionis; ut sit primitiae resurgentium. Nos „tandem Eum sequemur nostro ordine, sed in pul„verem prius redacti." Pergit Orator, eam felicitatem praedicans, quâ, novam vitam, gloriosam illam, ingressus, apud *Jehovam* suum frueretur; Cujus divini vultûs serenitas inauditae laetitiae fontem ipsi aperiret. Verbo πληρώσεις Septuagesima verterunt Hebr. שֹׂבַע, quod substantivum est, significans: *satietatem;* quod si mavis, commode cum Overdorpio aliisque, referre illud possis ad praecedens תּוֹדִיעֵנִי, ita ut sensus sit: „Notam mihi facies satietatem, plenitudinem summae „laetitiae." — Pro singulari εὐφροσύνης Hebr. habetur pluralis שְׂקָחוֹת; quo plurali summa, quae dari possit, laetitia indicatur [1]). *Μετὰ τοῦ προσώπου σου*, Hebr. אֶת־פָּנֶיךָ, cum Wettio, Overdorpio aliisque verto: *coram facie tua* [2]). Quatenus iccirco Orator

---

»führt nemlich die ζωὴ zunächst aufs Aüssere Leben; die höchste »Erscheinung des den Tod überwältigenden Lebens ist aber nie *ohne* »die ζωὴ im innern Sinn, die des πνεῦμα gewährt, zu denken."

1) Vid. Overdorp, Op. laud. II. pag. 50 et 51; III pag. 281. Cf. Palmius ad Ps. XVI: 11.

2) Vid. Wineri *Lex.* ad v. אֵת. De hac formula consulatur item Doct. Vorstmannus, pag. 110.

significat, laetitiam, qua gavisurus sit, orituram ex *Jehovae* praesentia, praepositio sensum exprimere dici potest; utpote arctissimum laetitiae cum Dei praesentia vinculum denotans [1]).

Quam sublimis haec Oratoris de futurâ suâ sorte beatissimâ descriptio sit, facile in oculos incurrit. Satieretur summo, quod cogitari possit gaudio, coram *Jehovae* facie. Hujus vultum continue intueretur, praesentiâ laetaretur; arctissima *Jehovam* inter et Ipsum necessitudo obtineret, ex qua omnis generis jucunditates et hilaritates, fluviorum ad instar, emanarent. Jure omnino monere nobis videtur Palmius, non tantum non probabile, sed vero absurdum esse, haec Oratoris enuntiata de *terrestri* felicitate intelligere, uti Wettio, Kuinoelio, aliisque placuit. Et nobis quidem, absolutâ *Psalmi* a Petro allegatae partis interpretatione, sublimis adeo et excelsus, mysteriosum fere diceremus, ei inesse videtur sensus, ut nisi fracta verborum vi et enervata, alium nullum, nisi sanctum Illum κατ' ἐξοχήν, *Messiam*, cogitari posse, persuasos nos habeamus. Quae igitur *Psalmi* ratio et indoles, etiam ignoratâ Apostoli interpretatione, ad Illum cogitandum sponte nos duceret [2]). Accedente vero Apostoli au-

---

1) Meyerus vertit: »Im unmittelbaren Zusammensein mit deinem »(vor mir geschauten) Angesicht."

2) Michaëlis (in Praef. ad *Coll. Crit.*) quatuor Psalmorum Propheticorum classes distinguens, hunc nostrum Psalmum XVI, una cum XL et CX ad *primam* refert, ad eos scilicet Psalmos, quos, etiamsi non legeris N. T., ac de eventu nihil scias, tamen non possis de Davide, aut quicunque tandem eorum auctor sit, interpretari, nisi simul agnoscas iis contineri praedictiones olim exstituri

ctoritate, nobis omni dubio major res redditur; gaudemusque profecto Spiritum veritatis, in Apostolo operantem, sigillo suo consignasse, quae mentis oculo tanquam unice vera sese obtrudant. Hoc jam Spiritu ductus Apostolus allegata *Psalmi* verba de Davide valere non posse, sect. 29, historicâ viâ probat, imo sectionibus 30 et 31, Prophetam egisse Davidem, haec effata edentem, monet et praedixisse Christi resurrectionem. Hac in *Psalmum* commentatione Messianam ipsius indolem prae omni dubio evincit; nitebatur eâ ipsâ tota Apostoli argumentatio. — Jam ipsius verba exponere pergamus, prudentem et efficacem rationem admirantes, qua sublimem *Psalmi* sensum Judaeorum mentibus aperit:

Sect. 29.

Ἄνδρες ἀδελφοί, ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας πρὸς ὑμᾶς περὶ τοῦ πατριάρχου Δαβὶδ, ὅτι καὶ ἐτελεύτησε καὶ ἐτάφη, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης·

Ἀδελφῶν, *Fratrum* nomine illos compellat Petrus,

---

magni cujusdam viri, verae victimae pro peccatis nostris, sive promissi Davidi extraordinarii illius posteri. Et Starckius, hanc distinctionem improbans, (*Prolegg. in Psalmos quinque*, I. P. 1. Sect. 14) et paucissimos Psalmos de Christo agere censens, imo magis propensus ad accommodationes sumendas: »Ii," inquit, »soli »de Christo dicti videntur, qui ita comparati sunt, ut de Davide »illisque temporibus exponi prorsus nequeant, qui de Christo in sa»cris N. T. pandectis vere explicantur, et in quibus nihil est, quod »datae ab Apostolis explicationi ullo modo adversari possit." Ex hoc autem genere censet Psalm. II. XVI. XXII. XL. CX. Ceterum de universo hoc argumento consuli potest G. F. Huffnagelii *Dissertatio de Psalmis prophetias Messianas continentibus.*

quos sect. 14, Ἰουδαίων et sect. 22, Ἰσραηλίτων nomine adortus fuerat [1]). Cernitur in hac compellatione summa prudentia, qua cavebat Apostolus, ne alienos auditorum animos a se redderet, aliquid prolaturus, quod de Davidis honore nonnihil detrahere Judaeis videri posset. Eadem prudentia conspicitur in magnifico Πατριάρχου nomine, quo Davidem insignit. Idem vero in insequenti formula: ἐξὸν εἰπεῖν, observandum videtur Moro, Kuinoelio, Heinrichsio, aliis, post ἐξὸν ponentibus ἔστω, atque sic vertentibus: *liceat;* quibuscum facit Valckenaerius; iis autem assensum praebere non possumus, potius facientes cum Ruhnkenio, Wettio et Meyero, qui supplentes ἐστὶ vertunt: *licet.* Etenim μετὰ παῤῥησίας se loqui posse affirmat Apostolus; atque verba ὅτι — ταύτης fundamentum exhibent τοῦ: ἐξὸν — Δαβὶδ; utut Prophetae historiam mere continentia, ad quam provocat Apostolus. Cernitur igitur hic summa prudentia cum justâ annuntiandae veritatis audaciâ conjuncta. Addito: μετὰ παῤῥησίας declarat, se, quamquam summâ erga Davidem reverentiâ imbutum, non reformidare, aperte abjudicare Prophetae falsum, qui huic tribuatur, honorem; πρὸς ὑμᾶς, *ad vos*, Israelitas scilicet, quibus Davidis historia ab omni parte nota esse potest, ac coram quibus idcirco ad Prophetae historiam jure provoco. Πατριάρχου nomine Davidem compellat, quo honorifico titulo Abrahamus, Isaacus, Jacobus, hujusque filii insigniebantur, tanquam Israeliticae

1) Cf. Heringa *Opp. Exeget. et Hermeneut.* laud. pag. 346.

nationis conditores, sed quem Apostolus hîc in Davidem transfert, quippe regiae familiae, ex qua *Messias* oriturus erat, caput; adeoque vocem usurpat *generis* ratione habita, non vero *praestantiae*, quod Heumanno aliisque placuit. Ceterum, vox illa nusquam in N. T. occurrit, nisi h. l. et Act. VII: 9, ubi de Jacobi filiis, et Hebr. VII: 4, ubi de Abrahamo ea utitur scriptor. Videtur illa pertinere ad eas voces, quibus tantum utebantur ad *Hebraeos* dicentes aut scribentes. Jam quid sibi εἰπεῖν περὶ τοῦ πατριάρχου Δαβὶδ liceret, sequentibus declarat Apostolus; scilicet ὅτι καὶ ἐτελεύτησε καὶ ἐτάφη, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης. His Davidis mortem et sepulturam memorat, diserteque declarat, hac in urbe, *Hierosolymis*, Davidem sepultum fuisse. Soli Davidicae familiae sepultura intra urbis muros concessa erat; cetera sepulcra omnia extra urbem jacebant, vid. Matth. VIII: 28. Davidis sepulcrum spoliabantur Joh. Hyrcanus et Herodes *Magnus;* sed eo, quo Apostolus dicebat tempore, adhuc illud monstrabatur. Provocat igitur Apostolus ad rem in facto positam, mortuum esse Davidem et sepultum, imo etiamnunc ejus monumentum sepulcrale superesse; qua provocatione ipsos Judaeorum animos testatur, de Davide vaticinium valere non posse, quippe qui non resurrectus fuerit, cujusque ψυχὴ εἰς ᾅδου κατελείφθη et σὰρξ εἶδε διαφθοράν, (coll. sect. 31). Hanc esse Apostoli argumentationem contextus nobis clare docere videtur. Animadvertenda autem omnino sapientia Apostoli, non palam clamantis, ad Davidem Psalmi verba non spectare, sed

fatis Prophetae simpliciter enarrandis, veluti tecte veritatem indicantis, concludendique ad hanc ipsis Judaeis viam relinquentis. Nunc pergit Apostolus, sect. 30 et 31 exponendo, tanquam Prophetam de Christi resurrectione Davidem egisse. Nam:

Sect. 30.

Προφήτης οὖν ὑπάρχων, inquit, *καὶ εἰδὼς ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ.*

Per transitivum illud *οὖν* indicat Apostolus: „Quandoquidem Psalmi effatum de Davide explicari non potest, uti ipsi jam animadvertitis, sequitur exinde, ea, quae de se ipso non pronuntiavit, ad alium referenda esse. Jam vero, ad quemnam, non difficile est explicatu. Etenim *προφήτης ὑπάρχ. κ. τ. λ.*" [1]). Duabus rationibus admonet Apostolus, mirum non esse, si Davides longe ultra suam aetatem loquendo evehatur; *prior* est, quod Propheta erat; *altera*, quod peculiariter illi promissus fuerat Christus. De utraque videamus accuratius. *Προφήτης*· verbum illud hîc sumendum esse de *eo qui futura praedicit*, tota contexta oratio docet; imo hac interpretatione omnis Petri argumentatio nititur; et confirmatur haec explicatio verbo *προϊδὼν*, quod insequenti sect. 31 habetur [2]).

---

1) Hanc h. l. vim esse Particulae *οὖν*, inter alios, Wineru docet, l. l. pag. 425.

2) Vid. Doct. Bergmannus, Diss. laud. pag. 32.

Hoc igitur nomine Davidem diserte insignit Apostolus, adeoque hujus vatis effatum vulgari modo metiri iniquum fuisset, quum, Spiritu ducente, longos annorum circuitus transscendat, ex Prophetarum more, quo res futuras et longe ab hominum notitia remotas patefaciebant. Huic autem revelationi propheticae accedebat promissio singularis, qua Christum illi notum fecerat *Jehova;* atque de hac in sequentibus: καὶ — καθίσαι monet Apostolus. Solennes promissiones cogitat, a Deo Davidi datas, forte eas maxime, quae leguntur 2 Samuel. VII: 12, ubi Nathan, Dei jussu, laetum exhibet promissum de regia dignitate, in Davidis familia confirmanda; et Psalm. CXXXII: 11, praesertim etiam Psalm. LXXXIX: 4; quamquam huc referri possunt alii etiam loci, quibus ejusmodi promissa Davidi data leguntur [1]). His ea edoctus erat David, quae deinceps in nostra sectione occurrunt, et de quibus mox videndum est; atque haec certo certius eventura esse probe sciebat; nam ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεός, jurejurando interposito *Jehova* rei veracitatem confirmaverat [2]). Juravit Deus, *tum* ut fidem suae promissioni apud Davidem faceret, *tum* ut hic pluris aestimaret rem promissam.

Jam pergamus ad laetae hujus promissionis divinae, a Petro memoratae, sensum evolvendum; exponentes quid igitur *Jehova* Davidi promiserit, secundum Apo-

1) Vid. Bergmannus, Diss. laud. pagg. 30 et 31.

2) Psalm. LXXXIX: 4 et 5; 30; 36-38, mentio injicitur gravissimi jurisjurandi, quo Deus affirmaverat, se facturum, ut Davidis posteri per omnia saecula post eum regnarent, ejusque thronus stabilis esset.

stoli dicta: *ἐκ καρποῦ — θρόνου αὐτοῦ*. Ast vero prius videamus de phrasi: *τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστόν*, quae scilicet vel tota, vel partim a nonnullis spuria habetur. Lubenter profitemur, diu nos haesitasse, ad quorum castra nobis transeundum foret, animadvertentes, *cum* eam, qua spuria, *tum* eam, qua genuina haec phrasis ducenda sit, sententiam patronos habere viros, maximae doctrinae laude conspicuos, nec non utramque sententiam gravibus defendi posse argumentis. Qui spuria, certe valde suspecta laudata verba habent, uti Morus [1]), Kuinoelius, Wettius, Meyerus, sequentibus rationibus nituntur: *primo*, omittuntur in *Codicibus* A C D ** H, aliisque minusculis; porro, in pluribus *versionibus* cum antiquis, tum recentioribus, uti et in *Vulgata*, (quam secutus est Lutherus); desiderantur item in *scriptis Patrum Latinorum*, uti et in *prima* Erasmi, *N. T. editione* [2]); quibus de causis Bengelius, Millius, glossam hanc phrasin esse putarunt et omittendam; Griesbachius, Lachmannus et Tischendorfius eam sustulerunt et in margine posuerunt, ut verba non a Luca scripta, sed addita. *Secundo*, multiplex est variatio verborum et inconstantia, interpolationem aperte testantes; namque modo aliquid omittitur, modo apponitur, modo verba transponuntur. Sic, v. c. nonnulli vocem *ἀναστήσειν* ejiciunt, alii

---

1) Scil. in *praelectionibus prioribus;* nam in Comment. ad n. l. item monet, *dubia* verba manere, quamdiu res critice spectatur.

2) Edd. Erasmi 2, 3, 4, 5, monente Wetstenio ad l. habent: *καθήσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστῆσαι τὸν χριστόν.*

verba τὸ κατὰ σάρκα; alii post καθίσαι ponunt: τὸν Χριστὸν κατὰ σάρκα, et plura hujusmodi. *Tertio*, non occurrunt laudata verba in Psalmo CXXXII: 11, neque etiam locis parallelis laudatis. *Quarto*, rejecta hac phrasi, lectio exsistit difficilior. *Quinto*, facile causa dari potest, qua factum sit, ut vulgaris oriretur lectio; quam causam Millius aliique apud eos quaerebant, qui, ex Psalmo CXXXII, „Petrum „*resurrectionem* probare voluisse censentes, neque con„nexionem argumenti perspicientes, quo necessitas re„surrectionis Christi ex promissione sessionis Ejus in „throno Davidis inferebatur, ipsius resurrectionis *pro*„*missionem* addebant, ita ut Petrus ex praedictione „rei rem ipsam probare videretur." Alii, veluti Morus, causam apud eos quaerebant, qui, Petrum de nativitate Christi ex Davide hîc agere videntes, adeoque verbum ἀναστήσειν, quod insertum reperiebant, de hac nativitate, non vero de resurrectione sumentes, illustrandi causa adjiciebant: κατὰ σάρκα. Ex his similibusve causis vulgaris lectionis originem deducebant, glossema iccirco illam habentes.

Sed praecipuis argumentis, quibus vulgari lectioni authentiam denegant laudati summi Viri, in medium prolatis, alterius etiam sententiae patronos audiamus, horumque argumenta, quibus adversarios refutare conantur, et vulgarem lectionem vindicare, hîc apponamus. *Primo* igitur monent hi, inter quos Lud. de Dieu, Wolfius, Heumannus, alii, laudata verba legi in Cod. D* Cant. aliisque Codicibus Graecis, haud paucis; atque genuina habita fuisse ab Ecclesia Graeca; quod videre est apud Chrysostomum, Theophi-

lum, alios. *Secundo*, ostendi posse occasionem, qua factum sit, ut verba illa ex nonnullis Codicibus exciderint. Scilicet librarios, qui haec de resurrectione Christi ex morte accipiebant, cogitasse videri, huc illa non pertinere, cum in sequenti demum sect. de illa fiat mentio; vel etiam duplicem *Infinitivum*, hîc sine *καὶ* conjunctum, fraudi iis esse potuisse, ut alterum omittendum putarent [1]); quam conjecturam multo majorem veri speciem prae se ferre statuunt illi, quam audaciorem illam, qua hanc phrasin, ex glossemate primum natam, in tot Codices paulatim irrepsisse tibi persuadere debeas. *Tertio*, nihil obstare, quod Psalmo CXXXII: 11 haec verba non occurrant, quum l. l. 2 Sam. VII: 12, omnino habeantur; quem locum Petrum simul in animo habuisse statuas, nihil est quod impedit; inprimis cum eo diserte agatur de promissione Davidi facta, atque in allegationibus ex Vet. in N. T. usu receptissimum sit, ut duo vel tria vaticinia uno sermone comprehendantur; vel, si cui hoc displiceat, satis fieri, si dicant, Petrum verba illa, illustrationis loco, Psaltae verbis addidisse; quod passim a scriptoribus N. T. fieri, itidem exemplis evinci possit. *Quarto*, non intelligi quo jure, pulsis illis verbis, difficiliorem lectionem exsistere dicatur, quandoquidem, hoc facto, aeque dilucide Apostolus demonstrare videatur, Davidi promissum fuisse, fore ut aliquis de *ipsius* posteris thronum occuparet; quam-

1) Vid. Griesbachius in *Proll. ad N. T.* P. I; pag. LIX. Sectio III: 1, β; ubi *secundum* criterium pro servanda pleniore lectione exhibet.

quam apte Apostolus haec verba addiderit ob alterutram, Argum. 3°, laudatam rationem; etenim, verbum *ἀναστήσειν* de *nativitate* ex Davidis carne esse sumendum, oculatiorem quemque statim animadvertere. Quid? quod *vulgarem* lectionem potius duriorem dicere possis ob duplicem illum *Infinitivum*, sine *καὶ* conjunctum, quo orationis suavitas ac lenitas profecto non augeatur [1]). *Quinto* animadvertunt, luce clarius patere, Apostolum, ex adducto *Psalmo*, Christi *resuscitationem* nolle probare, de qua sect. 31 demum mentionem injicit, atque nullam adesse causam negandi, veteres quoque comma illud de Christi *nativitate* accepisse; quod autem si praestruxeris, omnis ejusmodi glossematis formandi occasio, quam Millius fingit, uno ictu collabitur.

Haec fere praecipua sunt argumenta, quibus summi etiam Viri vulgarem defendunt lectionem; ac nemo facile erit, qui, ab utraque parte allata argumenta perpendens, non fateatur, difficile esse decernere, quaenam sententia alteri sit praeferenda. Attamen, post longam meditationem et haesitationem candide profitemur, nos negare non audere, *vulgarem* lectionem defendentium sententiam probabiliorem nobis videri. Damus omnino, *tum* magnam hîc molestiam creare argumenta externa; *tum* adversariorum conjecturas non nisi conjecturis magnam partem refutari; ast vero interna argumenta, quae pro defendenda lectione vulg. adducuntur, a gravitate et pondere om-

1) Cf. Griesbachius: Op. l. pag. LX, 3; ubi *tertium* difficilioris lectionis criterium exhibet.

nino sese commendare nobis videntur [1]); ea maxime, quae petuntur ex V. T. vaticiniis de *Messiae* origine Apostoli menti obversantibus; uti et ex Petri indole atque agendi ratione, in illustrandae rei tractatae more posita; nec non ex ipso verborum habitu ad conclusionis integritatem haud parum facienti, aliisque hujusmodi; quae omnia lectionis vulgaris *bonitatem* testari videntur [2]). Nos igitur ad Petri sermonem disputata verba pertinere potius credimus [3]).

Jam ad illorum, uti et universae promissionis expositionem nos accingamus. Jurejurando interposito *Jehovam* Davidi promisisse declarat Apostolus: ἐκ καρποῦ κ. τ. λ. Ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ· Alexandrini habent: ε. κ. τ. κοιλίας σου, quibus expresserunt Hebr. מִפְּרִי בִטְנְךָ, Psalm. CXXXII: 11, quem inprimis intendit Apostolus; hinc patet libere Petrum vaticinia, promissionem Davidi datam, spectantia citare, et non nisi summam rei iis contentae tradere.

---

1) Ad hanc igitur lectionem applicari forte potest regula, quam ipse Griesbachius, *Prolt.* laudd. LX, notâ, praescribit: »Quo »pluribus lectio quaeque nitet internis praestantiae indiciis, eo pau»cioribus ad eam vindicandam, opus est testibus. Usu igitur venire »potest ut tot tamque manifestis suae bonitatis criteriis lectio aliqua »praefulgeat ut duobus testibus, dummodo ad diversas classes ac fa»milias pertineant, imo unico, satis sit sufulta." Vid. Argum. I. pro defendenda lectione.

2) Griesbachius, op. laud. pag. LVIII: »Insita sua bonitate," inquit, »commendatur lectio, quae *vel* auctoris cogitandi sentiendi»que modo, stylo, scopo ceterisque περιστάσεσι; *sive* exegeticis ut »contextui, adjunctis, oppositis, etc.; *sive* historicis, omnium con»venientissima; *vel* ita comparata est," etc.

3) Genuina haec verba item habet Doct. Bergmannus, Diss. laud., uti videre est pagg. 52, 53.

Sic verba ἐκ — ὀσφύος diserte sensum Psalmo insitum exhibent; *ex Davidica stirpe, ex ipsius lumbi fructu* [1]). Qui bene notam insequentem phrasin τὸ — Χριστὸν rejiciunt, hîc supplent: τινὰ (scili καθίσαι κ. τ. λ.) Nobis, illam adhuc tenentibus, verba τὸν Χριστὸν hujus pronominis vicem supplent; atque verba τὸ — Χριστὸν addidisse videtur Apostolus, respiciens ad 2 Sam. VII : 12, ubi Alexandrini interpretes habent: καὶ ἀναστήσω τὸ σπέρμα σοῦ μετὰ σοῦ· ὃς ἔσται ἐκ τῆς κοιλίας σοῦ; quo loco, aeque ac in Psalmo laud., laeta regiae dignitatis, in ipsius stirpe confirmandae, promissio Davidi exhibetur; cujus promissionis verborum memor Apostolus, illorum summam attingit, et, illustratione adjecta, ad Christum usque illam tendere indicat, imo Hunc κατ' ἐξοχὴν spectare docet [2]). Quocirca causam non reperio, an-

---

1) De phrasi ἐκ καρποῦ — αὐτοῦ, ad Hebraicam rationem conformata, videatur Fessel, *Advers.* I. pag. 102 seqq.

2) Conf. Doct. Bergmannus, Disp. laud. pagg. 30, 31. Hujus dissertationis censor, in diario: *Godgel. Bijdr.* 1821, pag. 391 seqq., *duplicis sensus assumti* Bergmannum accusat, propterea quod hic laud. promissionem proxime quidem ad Salomonem respicere dicit, simul vero ulterius eam spectare statuit. Haec accusatio aliquatenus in nostram quoque sententiam cadere videri potest. Liceat autem animadvertere, nos non perspicere, quo fundamento illa nitatur. Etenim, *duplicem* sensum ille nobis tueri videtur, qui duas, *plane diversas* res, sive notiones eidem voci aut dictioni aut phrasi subjungat; non vero ille, qui unam eandemque notionem, iis contentam, extendit et amplificat; quod de Davidi datis promissis omnino valere videtur deque locis ea referentibus; quippe qui omnes ipsius successores respicerent, atque perfecte in ipso demum *Messia*, rege Theocratico κατ' ἐξοχὴν, implerentur; ad quem cogitandum ipsa promissionum indoles sponte quasi illum ducere debebat.

xie hic inquirendi, num Psalm. CXXXII : 11 et 2 Sam. VII : 12, ad Salomonem, an vero ad *Messiam* primo loco referenda sint. De his enim nihil monet Apostolus; non nisi illud probare sibi proponens, Davidi, ex promissionibus de regia dignitate in ipsius stirpe egregie confirmanda, constitisse, Christum, Theocraticum regem κατ' ἐξοχήν, ipsis spectatum fuisse [1]). Verbis τὸ κατὰ σάρκα significatur: *quoad carnem*, uti Rom. IX : 5. Articulus τό, accusative praeponitur, habetque expressiorem vim excipiendi, uti jam monuit Erasmus. Alioquin Christus simpliciter videri natus poterat ex Davide, nec aliud fuisse quam homo. Nunc articulus veluti excludit hanc cogitationem; τὸ κατὰ σάρκα h. e. *duntaxat* quod attinet ad originem, naturamque ejus humanam [2]). Subindicant simul haec verba, recte monente Calvino, illique assentientibus Tholuckio et Rückerto, locis laudd., aliquid fuisse in Christo carne nobilius. Haec autem Apostoli verba, arcte conjuncta cum phrasi ἐκ καρποῦ — αὐτοῦ luceque clarius Christi ex Davide, quoad carnem, nativitatem spectantia, viam jam sternunt ad insequentis verbi ἀναστάσειν explicationem, primumque argumentum constituunt, illud de *resurrectione*, sana mente, explicari non posse, cui repugnat h. s. tota Apostoli sermonis oeconomia, et V. T. laudd. loci, ad quos respicit [3]). Nam

1) Plura hac de re leguntur apud Glassium, *Phil. S.* p. 173 seqq.

2) De verbis κατὰ σάρκα pulcerrima consulatur explicatio, quam exhibet Tholuckius ad Rom. I: 3; (Ed. 1842). Item Rückertus ad Rom. IX: 5. et Fritzschius ad II. II.

3) Vid. supra Argum. 4 et 5, pro defendenda vulgari lectione.

ne urgeamus verbi ἀναστῆναι vim, qua nude positum, Grotio, Michaële, Wolfio, aliis testantibus, ex vulgari usu, de nativitate, ortu, intelligi debeat; perspicacior quisque videt, universum loci nexum, verborum habitum Apostolique consilium nostrae sententiae mirifice favere. Ergo, promiserat *Jehova* regio Prophetae, se ex ipsius lumbis, duntaxat quod attinet ad τὴν σάρκα, excitaturum, producturum esse τὸν Χριστὸν, Theocraticum regem κατ' ἐξοχήν, et (τοῦτον) καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, *et in* Davidis *throno Illum collocaturum.* Hic eminenti sensu thronum occupare dici posset, per quem nimirum Davidis regnum constans foret atque durabile. Atque verum hunc promissionis a *Jehova* datae sensum perspexisse Davidem, de qua divino jurejurando certior factus erat, insequens docet sectio, qua affirmat Petrus, illum, hujus promissi memorem, in Psalmo XVI laud. ut Prophetam, Christi resurrectionem praedixisse. Jam quis est qui sapientem Apostoli argumentandi rationem non miretur? Ne offendat Judaeorum animos, quod laud. Psalmum in Davidem non quadrare contendat, Prophetam illum egisse dicit, ipsique tanquam singulari divini favoris socio, laetum promissum de Christo, ex ipso nascituro thronumque adscensuro, dedisse *Jehovam;* ubi illud etiam hîc tenendum est, quod Judaei, quoties de Christo mentio fiebat, Davidis filium in ore habebant. Prophetica igitur revelatione acceptaque promissione factum est, ut saecula multa cogitatione praetermittens, de Christi *resurrectione* praedixerit David; cujus necessitatem ex ipsa Christi in ipsius

throno sedendi promissione inferri, arctamque cum hac sessione connexionem probe persentiscebat regius vates. Adeoque:

Sect. 31.

Προϊδὼν ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν.

Προϊδὼν. Directum Psalmo XVI vaticinium de Christi resurrectione inesse, hoc verbum omni dubio majus reddit; graviter enim illud vaticinandi rem intendit, quippe significans *praevidisse* Davidem, longos annorum circuitus mente praetervolantem, ea quae eventura essent, deque his tanquam re praesenti locutum fuisse, idque quidem auctore Spiritu s., quo praeterita ac futura uno oculorum ictu conspiciuntur [1]). Davides igitur, *προφήτης ὑπάρχων*, indoli muneris prophetici convenienter, *προϊδὼν*, futura cernens, mentisque oculo ut praesentia adspiciens, *ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ.* — *Ἐλάλησε*, *locutus est*, scil. in Psalmo laud.; nam utrique verbo *προϊδὼν* et *ἐλάλησε* propriam vim esse adservandam postulat accurata interpretatio; quocirca minus accuratae Kuinoelii agendi rationi subscribere non possumus, *προϊδὼν* cum *ἐλάλησε* conjungentis, atque vertentis: *vaticinatus est*, *praedixit*, *προεφήτευσε*; neque

1) Wettius ad Gal. III: 8. »Der Geist der Weissagung," inquit, »setzt Vergangenheit und Zukunft in Einklang; und Alles, was in »den letzten Zeiten geschieht, ist im biblischen Alterthume vorher»gesehen, vorhergesagt, vorgebildet."

hîc ad προϊδὼν cum Eckermanno supplendum est ὡς, quum Apostolus diserte affirmet, Davidem ut Prophetam resurrectionem praevidisse; unde in Psalmo XVI ipsam praenuntiaverit. Jam igitur aperte declarat Petrus, hoc Psalmo vatem egisse de Christi *resurrectione;* ad illud autem jure merito concludit post recte procedentem hanc argumentationem: „Ad Davidem Psalmum referre vetat ipsius Patriarchae historia; ubi vero perpenderitis, fuisse illum Prophetam, accepisse illum lactam de Christo, ex ipsius stirpe nascituro, promissionem, qui thronum occuparet in perpetuum, ipsumque probe perspexisse, hoc fieri nunquam posse, nisi ex morte in vitam revocaretur Ille, regni successor κατ' ἐξοχὴν dicendus, mirum subire neminem potest, laud. Psalmum ad hanc Christi resurrectionem esse referendum; imo, arctus hujus cum Christi perpetua in throno sessione nexus tale vaticinium requirit. Hinc igitur justa ducitur conclusio claraque redduntur mea verba, non de se ipso Davidem locutum fuisse, sed de summo ipsi promisso rege Theocratico. Hujus ergo ἀνάστασιν praevidens in Psalmo laud. de ea ἐλάλησε Propheta, ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ (τοῦ Χριστοῦ) εἰς ᾅδου κ. τ. λ." Particulam ὅτι hîc non cum Heinrichsio vertere malumus: *nam*, sed *quod*. Est enim haec prima vocis vis atque significatio [1]); porro hanc interpretationem requirit loci nexus, ex quo ἐλάλησε David περὶ, *de* ἀναστάσει τ. X. quae in Psalmo laud. leguntur, atque hîc a Petro allegantur;

1) Cf. Winer, *Gramm.* pag. 419, 319.

ita ut per illud *περὶ* voculae *ὅτι* lux afferatur [1]). „Praevidens locutus est de resurrectione Christi, quod" etc.; i. e.: Quae in Psalmo laud. occurrunt, locutus est Davides, ratione habitâ Christi *ἀναστάσεως*. Non exhibetur *causa*, qua factum sit ut Davides de *ἀναστάσει* vaticinatus fuerit, sed *ratio*, qua de illa locutus sit. Christi igitur resurrectionem vates praedixit, enunciandis verbis *ὅτι — διαφθορὰν*, quibus loquentem *Messiam* inducit. De horum verborum sensu rationeque Grammatica vidimus ad sect. 27; ubi nobis patuit, divinum Oratorem iis indicasse, se mortis imperio, neque quoad corpus, neque quoad animum subjectum fore, quum *hic* atro mortis imperio non relinqueretur, sed ipsi ereptus, lucis regno redderetur; *illud* vero mortis vim pestiferam non experiretur, sed e sepulcro intactum et incolume resurgeret. Hinc mirifice confirmatur Apostolicae interpretationis veritas, qua item de Christi resurrectione haec verba sumenda esse jubet. Ceterum, verba *ἡ ψυχὴ αὐτοῦ* non habentur in Codicibus A B C D et pluribus utriusque classis Versionibus et Patribus; probantibus Millio, Griesbachio, Lachmanno et Tischendorfio, et assentientibus Moro, Heinrichsio, Wettio, Meyero, ex glossemate illa irrepsisse censentibus. Tuetur autem illa Wolfius. Illi putant haec verba addita fuisse, quo major cum sect. 27 similitudo exsisteret; ex quo fonte mutationem *τοῦ: κατελείφθη* in

1) Winer l. l. pag. 357: »Mit dem Genit. verbunden, steht »περὶ — von dem Gegenstande, welcher *Mittelpunct* einer Thätig»keit ist: — *reden von* etwas, — und entspricht dem Lat. *de*."

ἐγκατελείφθη deducunt; quod tamen habetur in Codd. ACDE, ideoque receptum est a Lachmanno et Tischendorfio. Wolfius verba ἡ ψυχὴ αὐτοῦ non rejicienda dicit, quia, jubente Psalmo, de ψυχῇ aeque ac σαρκὶ mentionem facere debebat Apostolus. Sed de rei summa nihil detrahitur, rejicias ea an tuearis; aeque minus ac si pro: οὐ — οὐδέ cum Lachmanno et Tischendorfio legas οὔτε — οὔτε, quocirca dictis subsistimus. De voce σαρκὶ, *corpus* indicante, monuimus ad sect. 26.

Probata sic Messiana Psalmi indole, expositaque ratione, qua οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι a morte Jesum illum *Nazarenum*, (sect. 24), exclamat Apostolus:

Sect. 32.

Τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεὸς, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες.

Τοῦτον illud quomodo cum praecedentibus cohaereat, primum inquiramus. Scilicet non una, hac de re, interpretum est sententia. Etenim Heinrichsio et Kuinoelio, post τοῦτον, verba *Χριστὸν ὄντα* subaudienda visa sunt, ut τοῦτον *praedicati* loco habeatur, Ἰησοῦν autem *subjecti*: „Suscitavit Deus Jesum, qui est hic *Messias*, οὗτος *Χριστὸς*; suscitavit Ἰησοῦν (ὄντα) τοῦτον (Χριστόν)." Wettius vero et Meyerus laud. verbum respicere putant ad sect. 24-31, quibuscum connectenda essent hac ratione: τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, de quo omnia illa sectt. 24-31 dicta sunt, etc. Hunc, a Davide spectatum Jesum, etc. Nos vero cum Valckenaerio aliisque, potius hanc se-

ctionem pendere censemus a sectt. 22-30; quod ubi statueris, magis grammaticam rationem servare videris, item egregiam *κλίμακα*, quam Petri verbis inesse observavimus, uti et orationis efficacitatem. Est igitur nobis hujus sectionis cum praecedentibus cohaerentia haec: „Jesum *Nazarenum*, eximium virum, legatum „divinum, e medio sustulistis; Illum, quem Deus e „morte suscitavit, quia a morte vinci non poterat, „utpote Ille, in quem eventum habere debebat Da„vidis vaticinium; *τοῦτον*, inquam, *τὸν Ἰησοῦν*, supra „descriptum, a vobis interfectum, de cujus reditu in „vitam Davides locutus est, *ἀνέστησεν ὁ Θεός*." Quod igitur sect. 24, de excelsa Jesu personae dignitate documentum, a Deo editum, atque in Illius *ἀναστάσει* positum, memoraverat Apostolus, hîc efficaciter, cum emphasi, repetit, post allatum et expositum Davidis de Christi resurrectione vaticinium. In hoc Jesu *Nazareno* illud vaticinium jam impletum esse praedicat, neque dubitationi sic locum relinquit, quin hic promissus *Messias* habendus ac celebrandus sit. Quid? quod addito: *οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες*, omnem obloquendi occasionem delet, ad *historicum* provocans testimonium. Sitne autem illud *οὗ* masculino genere, an neutro accipiendum quaeritur. Qui prius tuentur provocant ad I: 8. XIII: 34, qui tamen loci minus apte hîc adduci videntur, ad impugnandam opinionem, quâ de *τῆς ἀναστάσεως* veritate, nostro loco, Petro sermonem fuisse credas. Illud autem, cum omnibus fere interpretibus, omnino indicare voluisse nobis videtur Apostolus, Jesu *ἀναστάσεως*, ut rei omni dubio majoris, se cum discipulis

ceteris, esse μάρτυρες. Hanc verborum Apostoli veram esse mentem, *tum* contexta oratio docet, *tum* ipsi propositum consilium. Nos igitur neutro genere illud οὗ sumimus, sensu: *qua de re*. Πάντες *Apostolos* spectare credimus; *tum* ob ea, quae disputavimus ad sect. 15, quibus illud οὗτοι de *Apostolis* valere edocti sumus, *tum* ob additum ἡμεῖς, cui sua vis peculiaris denegari nequit; *tum* denique ob insequens μάρτυρες, quod de *Apostolis* maxime valet; qui, ut nemo mortalium, ipsi mirificae rei non adfuerant quidem, sed qui, prae ceteris omnibus Jesu asseclis, Eum e mortuis resuscitatum saepius conspexerant, loquentemque audiverant [1]); atque hoc omnino sensu Apostolus dicere potuit: „οὗ, cujus ἀναστάσεως veritatis, nos testes sumus;" quatenus scilicet ad hanc jure concludebant ex iis, quae viderant et audiverant [2]). Celsissimi hujus divinitus exhibiti documenti de Messiana Jesu dignitate se suosque collegas testes profitetur Apostolus; cui historico testimonio fidem negare non poterant auditores, nisi fraudatores haberent Apostolos,

---

1) Matth. XXVIII: 16 seqq. (undecim discipulis conspiciendum se praebuit), uti et Marc. XVI: 14. Luc. XXIV: 36-49. Joh. XX: 26-29; Joh. XX: 19-25 (decem discipulis); XXI: 1 (septem); Act. I: 2 sqq. (omnibus); item Matthiae, vid. Petri dictum sect. 21 et 22. — Cf. etiam Act X: 40-42, ubi Petrus ad Cornelium verba faciens: Τοῦτον, inquit, ὁ Θεὸς ἤγειρε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἡμῖν, οἵτινες συνεφάγομεν, καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Καὶ παρήγγειλεν ἡμῖν, κηρύξαι caett.

2) Cff. ad haec, quae leguntur in doct. Doedes disput., *de* Jesu *in vitam reditu*, pagg. 111-182, quibus argumentum q. d. *positivum* pro Jesu resurrectione *ex redivivi apparitionibus* petitum exponit.

imo insanos, quippe quos ob hanc maxime praedicationem summo odio prosequebatur Judaeorum Synedrium.

Messianâ Jesu *Nazareni* dignitate, ita prae omni dubio evectâ, in cujus nimirum *Nazareni* personâ Davidis de Christi resurrectione vaticinium impletum fuerat, hunc *Messiam* redivivum excelso, quo jam fungitur, munere ac potestate gaudentem, proponit, ac cetera non minus vaticinia de Christo edita, in hoc Jesu impleta esse ostendit. Expositâ scilicet atque comprobatâ mirificâ ἀναστάσεως re, cum hac arctissime conjunctae eamque subsecutae Jesu exaltationis ad Dei dextram mentionem injicit, sectt. 32-35; qua factum est, ut tanti, quod adspexerant, miraculi auctor exstare potuerit; ita ut ipsa Spiritus s. effusio excelsae Illius dignitatis documentum exhibeat illustrissimum. Sic igitur Apostolus ad palmarium accedit argumentum, quod sua oratione tractandum ac probandum sibi sumserat, advenisse tempora Messiana; mirabilia, quae adspexerant auditores, Spiritus s. effusi documenta esse habenda, horumque auctorem esse Jesum illum *Nazarenum*, quem cruci affixerant; qui nimirum, utpote *Messias* promissus, a Deo in vitam revocatus, atque, ita enim pergit Apostolus:

Sect. 33.

Τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ Θεοῦ ὑψωθείς, τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ πατρός, ἐξέχεε τοῦτο, ὁ νῦν ὑμεῖς βλέπετε καὶ ἀκούετε·

Illud οὖν arctam mihi, cum Meyero, necessitudinem resuscitationis et exaltationis indicare videtur, ita

ut Petrus, hoc vocabulo interposito, id sibi velit: „Jesus ille *Nazarenus*, quem *Messiam* vobis demonstravi, ex impleto in Ipso vaticinio de Christo resurrecturo, secundum promissionem Davidi datam (*καθίσαι — αὐτοῦ*), exaltari etiam debebat summaque ornari potestate, ad quam capiendam resuscitatio Ejus ex mortuis, viam Ipsi sternere debebat." *Τῇ δεξιᾷ — τοῦ Θεοῦ ὑψωθείς.* Primum hîc monendum est de verbis *τῇ δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ*, quae diversimode ab interpretibus explicari animadverto. Scilicet Calvinus, Morus, alii, assentiente ex recentioribus Meyero, statuunt verba haec sumenda esse de *Dei potestate*, quae Christum *ὑψωσε*, adeoque vertenda: *per Dei dextram.* Provocant illi ad *Dativum* casum, instrumentalem habendum, quum verba *motum* inferentia cum *πρὸς* sive *εἰς* construantur, eorumque conjunctio cum *Dativo* classicâ Graecitate respuatur, atque non nisi raro apud poetas inveniatur. Et profecto negari nequit, hanc ex usu loquendi petitam objectionem gravem esse dicendam. Attamen, non talis nobis videtur, quae impediat, quin Heumanno, Wettio, Palmio aliisque assentiamur, verba illa de *exaltatione ipsa* sumentibus, adeoque vertentibus: *ad Dei dextram.* His enim ut calculum adjiciamus, sequentia nos movent argumenta: *Primo* quamquam Dativus *motionis* grammaticis difficultatibus haud vacet, infitiari tamen nequit, arctissime connexum esse Dativum cum praepositionibus *εἰς* et *πρὸς*; quo fit, ut Dativi loco una alterave harum praepositionum saepius ponatur [1]); imo pro

1) Vid. Winer *Grammat.* pag. 189.

locali εἰς et πρὸς, Dativum subinde usurpari Fritzschius aliique contendunt et probare conati sunt [1]). Quamquam nos hanc litem, inter tantos viros actam, non discernere audeamus, ex ipsis tamen eorum concertationibus patet, rem non adeo conclamatam esse, ut ob unum Dativum disputatum, ad Meyeri ceterorumque partes transire cogaris; praesertim cum accedant alia, quae ad Wettii castra te ducant. Nam *secundo*, versionem *ad* Dei dextram necessario postulat sectio 34, ubi quid significaret *per* Dei dextram, cum Wettio non intelligo. *Tertio* huic sententiae favet insequens orationis series, quae docet, non adeo de Dei potestate, quae Jesum ὕψωσε, nostra sectione agi, ast vero de ipsa potestatis a Jesu adeptae indole et magnitudine. De hac Apostolo sermo est; hujus effectus memorat, hanc vaticinio allato deinceps comprobat [2]). Ob has maxime causas ad insequens ὑψωθείς verba referentes, ipsius ὑψώσεως indolem designare Apostolum credimus; quo sumto, sublimis Jesu potestatis descriptionem hîc adesse animadvertes. Etenim formula τῇ δεξιᾷ (scil. χειρὶ), τοῦ Θεοῦ, ex Hebraica consuetudine, denotat *summam potentiam*, positam illam in imperii divini communione; quum una cum Deo regnare censendus sit Ille, qui ad Ejus dextram collocatur. Sumta est haec dicendi formula ex Psalmo CX, quem Apostolus modo allegaverat, et

1) Vidd. hujus viri *Conjectaneae*, I. pag. 42, et Winer *Gramm.* pag. 191.

2) Recte iccirco Bergmannus, disp. laud. pag. 56, observat, multo magis Psalmi citandi consilium apparere, ubi verteris: *ad Dei dextram evectus.*

in quo tractando de ejus formulae origine ac vi amplius exponemus. Ad Dei autem dextram *ὑψωθέντα* Jesum dicit Apostolus; quod verbum *evehere, exaltare*, significat [1]). *Evectus* igitur Jesus, summa dignitate ornatus est, quippe jam imperii divini socius factus. Cogitanda hîc est Christi in coelum adscensio, (conf. sect. 34 *οὐ — ἀνέβη*), qua regno potitus est Sospitator [2]), et quacum igitur Spiritus s. effusio arctissime cohaeret. Etenim ad Dei dextram evectus *τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ πατρός, ἐξέχεε τοῦτο, ὃ νῦν ὑμεῖς βλέπετε καὶ ἀκούετε.* Quid autem additis *τὴν — λαβὼν* significare voluerit Apostolus, primum inquiramus. Kuinoelius, Schottus, aliique haec verba ita sumunt, ac si Christus *promissionem* Spiritus s. a Patre acceperit; quae tamen explicatio minime probanda videtur, *tum* propterea, quod verba ea illud spectant, quod *exaltationem* insecutum est, scil. *πνεύματος* antea promissi cum discipulis communicandi facultatem, ut potentiae partem constituentem; *tum* quia verba *ἐξέχεε τοῦτο* non explicari possunt ex accepta Spiritus s. *promissione*, sed unice ex ipsa promissi Spiritus s. *acceptione*, qua fie-

---

1) Cf. Proes, Diss. laud. pag. 11; cl. van Hengel ad Philipp. II: 9. Nuperrime de verbi *ὑψόω*, nude positi, significatione et vi, accurate disputatum est in Diario laud. *Bijdragen — door* B. van Willes; in cujus Parte III: 2. IV: 1, de verbo illo suam quisque sententiam defenderunt cl. J. H. Scholten et pl. ven. J. R. Wernink.

2) Bergmannus diss. l. pag. 81, Phil. II: 9-12 memorans: »*ὑπερύψωτε*," inquit »i. e. *in sublimem conditionem evexit*, cum in coelum Eum »sustollens, tum ad dextram suam collocans; *ὑψοῦν* enim omnia in»cludit, quae ad glorio un Christi statum faciunt."

bat, ut illum effundere posset. Nos igitur, cum omnibus fere interpretibus, verba *τὴν ἐπαγγελίαν τ. ἁ. πνεύματος* sumimus pro: *ἐπηγγέλμενον πνεῦμα ἅγιον, promissum Spiritum s.* [1]), illum Spiritum, quem Patris nomine discipulis pollicitus fuerat Sospitator (I: 4); neque adeo haec verba conjungenda putamus cum *παρὰ τοῦ πατρός*, ut, intellecto *αὐτῷ*, significetur jus, his in terris versanti Sospitatori a Patre promissum, Spiritum s. distribuendi, quod Heinrichsio placet; sed cum *λαβὼν παρὰ τοῦ πατρός*, hoc modo: „promissum nempe *Apostolis* Spiritum s. *λαβὼν παρὰ τοῦ πατρός*." De nullâ enim Spiritus s. promissione Jesu ipsi, vel in hac terra versanti, vel in coelum sublato, datâ, sermo esse potest, quum, ipso Heinrichsio consentiente, ejusmodi *ἐπαγγελίαι* nusquam in S. Codice legantur, adeoque laudata ejus sententia omni fundamento carere censenda sit; sed agitur hîc de Spiritus s. promissionibus, quas cum discipulis communicavit Sospitator, quibusque pollicitus est, ét Patrem, ét se hunc Spiritum missuros esse, postquam Ipse glorificatus esset. Hunc igitur discipulis promissum Spiritum Jesus *ὑψωθείς a Patre accepisse* dicitur; quae Apostoli verba molestiam tibi creare cessabunt, ubi observaveris omnem, qua Christus gaudet, potestatem a Patre Illum accepisse dici, quod patet ex passivo *ὑψωθείς*, et ex toto Apostolicae orationis consilio, qua Jesum promissum *Messiam* esse demon-

---

1) Hac ratione jam Bezam verba haec intellexisse, monet Ruhnkenius, ann. mss. laudd. ad l. Cf. Act. I: 4, ubi Conservator admonet Apostolos *παραμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός*.

strat, talem a *Patre* Eum constitutum dicit, ita ut Pater Eum suscitaverit e morte, atque ad dextram suam exaltaverit. Hac exaltatione summam in omnes res potestatem adeptus est Sospitator, adeoque etiam in Spiritum sanctum; ad ea, quae Christi dominio subjecit Pater, Ipsi exaltato tradidit, Spiritus sanctus etiam pertinet. Atque hoc sensu Spiritum s. a Patre Jesum accepisse recte affirmare potuit Apostolus; *Messiatici*, sive *Mediatorii* q. d. muneris ratione habita; ex quo Christus, veluti medius Deum inter et nos, accepta a Patre dona, manu suâ nobis tradit. Recte porro Sospitatorisque verbis plane congruens hujus Spiritus s., Christo traditi, mentionem facit Apostolus, *post* memoratam Ipsius ὑψωσιν. Nam gloriâ demum ornato Christo, Spiritus illius, Ipsi traditi conspiceretur vis, hujusque sese manifestaret efficacitas; cff. Joh. VII: 39, alia. Quod tamen non ita est intelligendum, ac si Spiritus ille tunc primum effundi coeperit; sed cogitanda est luculentior illa, cum fide Christianâ arctissime conjuncta gratiae abundantia, quam eo usque distulerat Deus, dum Christum in regiâ sede collocasset. Hoc enim ipsa vox *effusio* docet, de qua monuimus ad sect. 17. Ceterum quod *hanc* Christi potestatis partem, scil. Ejus in *Spiritum s.* dominium, ex Jesu ad Dei dextram ὑψώσει sponte sequi visum, de industria hîc memorat Apostolus, explicandum est ex praesenti ejus consilio, ex quo ipsi probandum erat, mirabilium, quae evenerant atque Spiritus s. documenta erant habenda, (cff. ejus dicta sect. 16 sqq.), Jesum auctorem esse; unde clarius etiam intelligerent auditores, vere Eum esse

Messiam, quippe cujus vi *Joëlis* vaticinium impletum esset, atque in quo adeo advenissent tempora *Messiana*. „Jam vero," hoc vult Apostolus, „evectus Ille „ad Dei dextram, cui summum in omnes res domi„nium Pater tradidit, Spiritum etiam sanctum ab „Ipso accepit. *Messias* igitur constitutus, in Davi„dis throno eminenti sensu collocatus hicce Jesus ἐξέχεε τοῦτο, ὃ — ἀκούετε [1]). De verbo ἐξέχεε monuimus ad sect. 17. Ad τοῦτο Kuinoelius, Bergmannus [2]), alii, supplent: πνεῦμα, insequens ὃ explicative sumentes: *id quod;* vulgata vertit: *hunc;* alii, uti Ruhnkenius, τοῦτο explicant de *dono linguarum*. Rectius autem mihi sentire videntur Calvinus, Wettius, Meyerus, indefinite illud τοῦτο sumentes, atque verba τοῦτο ὃ simpliciter vertentes: *illud quod;* quae explicatio sese commendat *tum* simplicitate, *tum* efficacitate, quam Petri verbis conciliat, qui hoc modo ipsis Judaeorum mentibus judicandum relinquit, τὸ ἐκχυνόμενον nihil aliud esse, quam promissum πνεῦμα ἅγιον. Ipsa igitur ea, quae viderant et audiverant, auditoribus habenda erant divinum Jesu imperium tenentis indicia; Ejus, qui ex hujus imperii vi πνεῦμα ἅγιον mittere posset, ac promissis de Spiritu Illo mittendo stare vellet. Quo magis autem de rei demonstratae veritate constet, jam Apostolus fundamentum exhibet, quo ejus de exaltati Jesu potestate assertio nitatur. Nil mirum hanc Jesu ὕψωσιν continere contendit, quippe quae necessario in Chri-

1) Vid. Heringa, *Kon. waard. van J. C.;* in opp. Soc. Hag. 1797, pag. 140 sqq. 2). pag. 57 Diss. laud.

stum cadere deberet; quod ut probet, Davidis testimonium affert, quo de Christi exaltatione agere Prophetam demonstrat. Sic novum argumentum pro Messianâ Jesu *Nazareni* dignitate adducit Apostolus; namque in Hunc Davidis testimonium quadrabat, ex quo olim constituerat Deus, Christum in summum honoris gradum evectum iri. Antequam vero vaticinium excitet, praefatur, de ipso Davide illud minime intelligi posse, quippe qui ad tantam altitudinem nunquam evectus fuerit; quo exposito, ex ipsis Psalmi verbis probat, nonnisi in Christum hoc competere. Itaque, ut dictis: *τῇ δεξιᾷ — ὑψωθείς* vim et auctoritatem conciliet:

Sect. 34.

Οὐ γὰρ, inquit, *Δαβὶδ ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς· λέγει δὲ αὐτός· Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου· Κάθου ἐκ δεξιῶν μου.*

Illud *γὰρ* fundamentum igitur exhibet assertionis: *τῇ δεξιᾷ — ὑψωθέντα* esse Jesum, adeoque minime pro mera transeundi particula est habendum, uti Kuinoelio placuit; quum diserte causam se indicaturum admoneat Apostolus, quae dictorum veritatem ob oculos ponat. Hoc ut efficiat, provocat ad Psalmi CX effatum, quo Christi exaltationem praedictam esse monet. Argumentationis jam institutae accuratiorem quidem ordinem desideramus, quum proprie haec ita procedere debuisset: „Jesum, quippe Christum, ex„altatum esse, jure proclamo, nam sic scriptum est: „*Εἶπεν κ. τ. λ.* Etenim haec verba ad ipsum Davidem

„referre, hujus vita vetat, et effati, ab ipso editi, „habitus, alium quendam ipso longe superiorem regem „Davidem spectasse, diserte arguens. Ergo *προ-„φήτης ὑπάρχων, ἐλάλησε περὶ τῆς ὑψώσεως τοῦ Χρίστου*, etc." Ast vero rei demonstrandae ardore plenus, argumentationis ordinem negligens Apostolus, in antecessum monet, in Davidem non competere verba, quae etiam ipsi citanda essent; quo praemisso, vaticinium adducit, cujus indoles Christi exaltationem cogitare jubeat. *Οὐ γὰρ Δαβὶδ ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς*; Michaëlis, quocum facit Heinrichsius, putat, Petrum hoc enuntiasse, ad refutandam Judaeorum opinionem, quâ, falsâ Psalmi XVI interpretatione, Davidem in coelum sublatum crediderint. Est autem haec sententia idoneis rationibus destituta; adeoque simpliciter Petrus ea nobis videtur spectasse, quae palam pronuntiaverat sect. 29, mortuum esse Davidem atque sepultum, illumque non resurrexisse. Haec Prophetae fata, Judaeis optime nota, ob oculos habet, quocirca simplici negatione *οὐκ — οὐρανούς*, subsistere poterat; nulla iccirco causa est statuendi, memoratam falsam opinionem hîc refelli, de qua neque ad sect. 29, neque h. l. quid monet Apostolus, neque historia quid tradit. Spectatâ igitur Davidis vitâ, Psalmi CX effatum ad eum referre, absurdum fore denotat Apostolus, quippe quae de ipsius exaltatione in coelum nihil quicquam doceat, imo diserte huic obstet. Caeterum, verba *ἀνέβη εἰς τ. οὐρανούς* versus referenda sunt ad *ὑψωθείς*, rursus vero ad *κάθου — μου*, diserteque arguunt agi de exaltatione ad Dei dextram, *per* sublationem in coelum effectâ; (cff. dicta ad sect. 33).

Negat igitur Apostolus, Davidem in coelum sublatum et ad summam gloriam evectum esse. Quum ergo ad tantam altitudinem Davides nunquam adscenderit, vaticinium de sessione ad Dei dextram in ipso impletum non fuit, ejusque veritas alibi est quaerenda. Haec vero non longe quaerenda erat, ipsis effati verbis perpensis, quippe quae non nisi de Christo explicari possent; ergo de hoc praedixit. *Λέγει δὲ αὐτος·* illud *δὲ* recte mihi explicare videtur Meyerus: *quid? quod ipse dicit*, („er sagt vielmehr selbst"), ita ut Apostolus hoc sibi velit: „non tantum Davidis fata haec verba ad ipsum referre vetant; sed vero ipsa ejus dicta, ipse verborum habitus tali opinioni vehementer refragant." Ex ipsa jam verborum ratione *Messianam* effati indolem elucescere contendit adeo Apostolus; quam certissime de hac sibi persuasum esse testatur, dum omnem de Jesu *ὑψώσει* argumentationem illâ superstruat. Atque illud *primum* est argumentum, quod illorum opponimus sententiae, qui hîc Apostolum sese accommodasse ad vulgarem opinionem nobis persuadere conantur. Etenim si hoc fecerit, nisi ipsi de *Messiano* Psalmi sensu, acriter ab illo vindicato, constiterit, „mentitus est Petrus," uti jure observat doct. Bergmannus [1]), „et men„dacio superstruxit totam sanctissimae religionis causam. „Quod sane non ejus erat, qui modo Spiritus s. donis

---

1) Diss. laud. pag. 57. Vidd. etiam quae contra accommodationis systema universe idem monuit pagg. 25, 29; uti et ea, quae habet Herderus, in l. *Brieven betreffende de beoefening der Godgel., uit het Hoogd. door* v. Hamelsveld, II. pagg. 249-261, et pagg. 315-319.

„acceptis contra omnem errorem munitus erat." Neque minus *secundo*, accommodationis patronis obstat ratio, qua hunc locum adducit Apostolus; diserte jam in antecessum monens, de Davide eum accipi non posse, illudque ex ejus fatis atque ipsâ verborum indole probans; contra vero ex eo Jesu exaltationis veritatem, ejusque *Messianam* dignitatem demonstrans. Cui *tertio* accedit, quod Petrus indubie inter eos fuit, quibus Sospitator Davidis vaticiniorum sensum aperuit, Luc. XXIV: 44, 45; jam vero, si haec Davidis verba, sublimem adeo sensum spirantia, et veluti manu ad Christum cogitandum nos ducentia, ad ea non pertinent, quae *γεγραμμένα ἔστιν ἐν ψάλμοις περὶ τοῦ Χριστοῦ*, quodnam quaeso ejus dictum eo referres? Profecto tunc non intelligitur, quorum tandem scriptorum intelligendorum *διήνοιξεν* Apostolorum *νοῦν* divinus Magister. Sed luculentius etiam testimonium *quarto* positum est in Sospitatoris dictis Matth. XXII: 41-46, locisque parallelis, ubi ipse laud. Psalmum ad se referendum luce clarius significat. Omnino Messiana Psalmi indoles ibi adeo dilucide a Jesu vindicatur, ut eam continuo animadvertas; atque mente sana fere destitutus censeri debeas, si h. l. ipsi Sospitatori accommodationis negotium adscribere velis, et statuere, perniciosam hanc explicandi rationem ab ipso Christo didicisse Apostolum [1]). Quae cum ita

---

1) Vid. de hoc Matthaei loco et parall. doct. Bergmanni diss. laud. pagg. 42-59. Hengstenberg, *Christol.* I. pag. 140, 141. Olshausen, ad l. alios; quorum interpretationibus perpensis, temeritatem Meyeri persentisces, de his Sospitatoris dictis statuere haud reformidantis: »Jesus selbst, nach allgemeiner *Jüdischer* An-

sint, cave ne, laxâ ac frigidâ accommodatione in usum vocatâ, Spiritus sancti in Apostolo operantis testimonium, ipsiusque Christi diserta enuntiata contorqueas et misere dilaceres. Nos saltem, his ita motos nos declaramus, ut vere *Messianum* Psalmum Apostolum habuisse omni dubio majus ducamus; cujus insuper auctoritas mirifice, si opus est, confirmatur Psalmi argumento et ratione, quae alium ac ipsum *Messiam* cogitare prorsus vetant; quocirca ex his ipsis *alterum* pro Messiana ejus indole argumentum jure petit Apostolus 1). Ipsa verborum explicatio hoc clarum reddet, ad quam jam nos accingamus. *Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου κ. τ. λ.*; נְאֻם יְהוָה לַאדֹנִי. Sublimitas magna jam inde ab hoc initio apparet. Spiritu s. afflatus, magnificam Messiani regni gloriam, quasi oculis subjectam cernens, oraculum se editurum esse significat regius vates. Incipit carmen a solemni Prophetarum formulâ, quâ illi, quae divinitus sibi patefacta sunt, hominibus tradunt. Verbum נְאֻם *οἱ ὁ* aliique vertunt: *εἶπεν, dixit;* videtur autem venustas

---

»sicht versteht diese Psalmworte vom *Messias;* ihr *historischer* Sinn »aber ist," etc.; unde effici licet, qualem Petri interpretationem habeat ille; vid. ad Act. II: 34, 35. Nec minus profecto Wettii audaciam repudiabis, qua de eadem re agit ad introductionis Psalmo CX praemissae finem; in Comm. ad Ps. pag. 558.

1) Messianam Psalmi indolem hujusque a Davide compositi veritatem de industriâ vindicat Bergmannus, diss. laud. in Psalm. CX, accuratam etiam Psalmi interpretationis historiam *tum* antiquam, *tum* recentiorem subjungens, atque maxime diversas de ejus argumento interpretum sententias exhibens pag. 1-20; quocirca his nos abstinemus. Post eum Messianam Psalmi indolem vindicarunt Hengstenbergius *Christ.* I. pagg. 140-153; alii.

poëtica requirere, ut substantive vertamus: *oraculum* [1]). Oraculum se traditurum esse indicat poëta, idque inspiratum sibi a *Jehova*, etenim addit: יְהוָה ὁ κύριος; non suum igitur, aut alius cujusdam hominis, sed ipsius *Jehovae*. Verba facere hîc anthropomorphice informatur *Jehova*, quâ formulâ sanctissimum et efficacissimum Illius decretum denotabatur [2]). Indicatur igitur hîc legitima ratio, qua rex imperium obtineat, quippe qui ipsa *Jehovae* ordinatione ad hoc vocatus sit; est ac si diceret Propheta, non temere sibi sumsisse honorem, sed tantum paruisse Deo jubenti Illum, ad quem verba fecit *Jehova*. Quis jam hic fuerit indicat addito: לַאדֹנִי, τῷ Κυρίῳ μου. Receptam hanc lectionem Hebraicam veram esse, recteque adeo vertisse LXX, tantis argumentis contra Michaëlem, lectionem לַאדֹנָי tuentem [3]), defenderunt Muntinghius, Bergmannus, alii [4]), ut haec res ferme conclamata censeri posse mihi quidem videatur. Non

---

1) Vid. Bergman, l. l. pag. 76. Michaëlis, *Coll. Crit.* p. 476, in nota. Wettius item vertit: *Spruch.*

2) Vidd. Friedrichius, *Symbolae ad interpret. Psalm. CX*, pag. 13; et Glasius, *Phil. s.* pag. 732.

3) *Crit. Coll.* pag. 476 seqq., et Annot. ad Matth. XXII. Hic primus fuit, qui ita mutandam esse lectionem suspicatus est; secut eum sunt Zacharia, Friedrichius, alii.

4) Vid. Muntinghe, *Eenige bijz. taalk. aanm. over de Psalmen*, 216 seqq. et quae hujus argumentis addit Bergmannus l. l. p. 78, 46 et 47. Michaëlis sententiam item improbarunt Doederleinius, in *Schol. ad libros poet. V. T.*; Ammonius, *Bibl. Theol.* II. pag. 70. Cff. etiam, si lubet, Swaving, in Opp. Soc. Hag. 1799, pag. 141 et Folmer, ibid. 1804, pag. 113.

sibi igitur, aut alii cuidam, se inferiori, aut sibi aequali, fecisse verba *Jehovam* admonet Propheta, sed Ei, quem hominibus longe superiorem futurum auspicaretur, *Domino suo*. Atque hoc quidem *primum* est argumentum pro Messiana Psalmi indole, ex ipsa verborum ratione, sect. 1, petitum [1]). A se ipso diserte distinguit vates Illum, qui ad Dei dextram sederet. Quid? quod Eum vocat *Dominum* suum; qua denominatione Davides, potentissimus aetatis suae rex, nullum alium, Deo excepto, insignire potuit, quam unum *Messiam*, qui rex omnium maximus perpetuo thronum occuparet [2]). Dignitatis ergo ratione habita ita Eum compellat regius vates. Num propter naturam etiam divinam *Messiam* Dominum suum vocaverit, num tam clarae de Eo notiones Davidis menti obversatae fuerint, difficilis omnino quaestio est. Negare tamen hoc non auserim, *tum* ob mirificum atque celsissimum nomen אדני, quod quo sensu accipiendum sit apparet ex sect. 5, ubi habetur אֲדֹנָי, qua denominatione, de solo *Jehova* usurpata, hîc insignitur rex ille, de quo sect. 1 sermo fuerat; *tum* ob ea, quae huic regi dixisse fertur *Jehova: κάθου κ. τ. λ.*, de quorum vi mox exponemus; *tum* etiam ob Psalm. II: 7. XLV: 7, 8 [3]). Certe non facile

---

1) Vidd. Bergmannus, l. l. pag. 34, 36, et scriptt. ibi laudati.

2) Vim appellationis *κυρίου*, Christo tributae, egregie exposuit doct. E. B. Swalue, in diario: *Bijdragen — uitlegkunde*, door B. van Willes, I, pag. 371-389.

3) Consul. universe hac de re Muntinghius, qui laud. Annott. pag. 219, omni dubio majus hoc habet; item Bergmannus l. l.

intelligitur, quomodo non nisi terrestrem regem Wettius aliique hîc cogitandum esse statuere possint, nisi aut Davidem se ipsum adulari, aut alium quendam turpi prorsus adulatione illum prosequi voluisse credas. Etenim praeter sublimem illam denominationem, ea, quae Domino suo dixisse *Jehovam* celebrat vates, sine omni dubio ejusmodi sunt, ut mero homini tribui neutiquam possint; quod insequentia verba *Κάθου ἐκ δεξιῶν μου* docebunt, quae, valde disputata, jam nobis sunt explicanda. Constituunt autem, uti nobis videtur, jure *secundum* argumentum internum pro Messiana Psalmi indole. Nimirum sumta est haec phrasis a regum orientalium more, ex quo, quos prae ceteris honorare vellent, a dextra sua collocare solebant; quo actu indicabant, eos imperii ac honoris regii participes constitutos esse [1]). Hinc

---

pag. 40, coll. pagg. 52, 53; ad quae viri disputata legantur, quae monet censor in *Godg. Bijdr.* 1821, pagg. 399-401. Huffnagel, *Handb. d. Bibl. Theol.* I. pagg. 383-385. Hengstenberg, op. laud. I. pag. 142 seqq. Porro, quod ad verbum אֲדֹנָי sect. 5 indeque petitum argumentum, egregie disputata Bergmanni pagg. 160-163; Muntinghius l. l. pag. 220, et *Korte Aanm.* pag. 297; Hengstenberg l. l. pag. 147, 148. Tandem Rosenmullerum, vim vocis אֲדֹנָי enervare studentem refutat Wettius, l. l. pag. 561; quamquam hic, historicâ suâ viâ procedens, illud verbum ad ipsum *Jehovam* refert; quem, uti et ipsi assentientes, refutatos vide apud supra laudd. viros.

1) Vid. Muntinghe, l. l., p. 293 sqq. *Geschied. d. Menschh.* VI. p. 80 et ann. 85. Bergmannus pag. 36, 37, 78 et 79. Knappius, *de Christo ad Dei dextram sedente*, in Muntinghii *Syll. Opusc.* II. pag. 219 seqq. Wettius ad h. Psalm. Hengstenbergius l. l. p. 143 seqq. Tholuckius, ad Hebraeos p. 130, alii.

sponte intelligitur celsissima Messianae potestatis indoles. Etenim hic rex jam dicitur collocatus ad dextram ipsius *Jehovae*. Est igitur particeps factus imperii atque honoris divini. Proximus *Jehovae* est potentia et dignitate, una cum Ipso regnat. Jam, de quonam mortalium vel terrestri rege hoc *Jehovae* effatum valere posset? Omnino reges terrestres Dei nomine imperium hac in terra gerebant, sed tanquam Ejus ministri. Nostrâ autem formulâ diserte indicatur divini imperii *consortium*; quod certe ad nullum terrestrem regem adaptari potest [1]). Ceterum monere non opus est, figuratam hîc obtinere locutionem; ast vero veritatem, sub imagine comprehensam, sine ullo dubio in summo imperio, quo donatus est Sospitator, in imperii divini cum Patre consortio positam esse, luce clarius apparet [2]). Quod attinet tandem ad quaestionem, utrum Christus, ratione habita naturae di-

---

Stat igitur memorata formulae vis; quidquid tum antiquiores, tum recentiores nonnulli in medium attulerint ad eam infrigendam: quoad priores, hos enumeratos et refutatos vide a Bergmanno, locis laudd., cujus dicta non minus valent contra Bleekii, ad Hebr. I: 3, de hac formula sententiam.

1) Formulae: *ad Dei dextram sedere*, de Christo usurpatae, vim et significationem copiose et accuratissime exposuit Bergmannus, pag. 80-84, ad quem igitur lectorem ablegamus. De hoc argumento conferantur etiam Hengstenbergius, l. l. Tholuck., Knapp. l. l., Heringa, *Koninkl. Waard.* pag. 124 sqq. Van der Willigen, *Wezen d. Christend.* I. pag. 231-236; uti et *Godgel. Bijdr.* 1831, pag. 386 seqq.

2) Quod ad perversam eorum agendi rationem, qui has aliasque symbolicas formulas proprie accipiunt, vid. Tholuckius. *Einl.* commentario ad Hebraeos praemissae pag. 103 seqq., uti et ad Cap. I: 4; item Heringa l. l. pag. 122 seqq. et 215 seqq.

vinae, an potius humanae hoc jussum a Patre acceperit, nos iis plane assentiri profitemur, qui *Θεανθρώπῳ* haec verba dicta esse credant, in quo divina et humana natura arctissime conjunctae sunt; Patremque informari hoc Illi jussum dedisse eo temporis puncto, quo adscenderat Jesus in coelum [1]). Patribus plerisque placuit sententia, qua statuitur, tantum *διὰ τὴν σάρκα*, Christum laudatum honorem et potestatem a Deo accepisse [2]), quibus Hengstenbergium assentientem video [3]), unde explicandum erit quod hicce vir formulam *sedere ad dextram Dei* non accipiendam censet de majestate, divinae majestati prorsus aequali; quae tamen vis nobis omnino huic formulae inesse videtur, uti ex supra animadversis patet; atque jure talem majestatem *Θεανθρώπῳ* tribui credimus. Profecto, non intelligimus, qua probabili ratione sic inter utramque Christi naturam discernere liceret; nam, etsi clar. Viro concedimus, summum imperium et honorem Christum a Patre accepisse, ut absoluti ab Ipso operis praemium, iidem tamen, ex N. T. doctrina, nunquam obliviscendum

---

1) Hoc enim indubie ex Marc. XVI: 19, coll. aliis locis, efficiendum esse, ostendit clar. van Hengel; in ejus disp. de Christi adscensione in coelum, in Opp. Soc. Hag. 1809, p. 69-72.

2) Vid. Athanasius, in *sermone de fide*, apud Montfauconium, *Coll. N. Patr.* II. p. 9, D. E. et p. 14; E.

3) l. l. pag. 143, ubi: »Auch nach der Messianischen Erklärung," inquit, »bezieht sich der Ausdruck, wie in N. T. durchgängig, »nicht auf die Göttliche Natur Christi, nach der er dem Vater an »Würde vollkommen gleich ist, sondern auf seine menschliche Natur, nach der er die Theilnahme an der Göttlichen Weltregierung »als Belohnung für die Ausführung des Erlösungswerkes erhielt."

esse existimamus, eundem Illum etiam esse *υἱὸν τοῦ Θεοῦ*, per quem Deus *τοὺς αἰῶνας ἐποίησε*, et qui *φέρει τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ* 1), ita ut ad Dei dextram collocari *potuerit*, quippe qui, ut talis, imperio gerendo par esset. *Illum* enim *κληρονόμον πάντων ἔθηκε* Deus, *δι' οὗ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε*, et qui *φέρει πάντα*. Hic, *υἱὸς* existens *τοῦ Θεοῦ*, idemque *Messias*, *ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς* 2). Gloria et majestas, quam in communione Patris habebat Filius ante mundum conditum, tributa palamque designata fuit *Θεανθρώπῳ* post resurrectionem, Joann. XVII: 5. Est adeo in divina Christi natura causa quaerenda, qua factum sit, ut omnium rerum Dominus constitui posset; cujus imperii fundamentum erat Ejus praeexistentia, mundique per Ipsum creatio et conservatio. Quum igitur ipsi s. scriptores utramque naturam arctissime conjunctam proponant, imperii etiam divini, Christo

---

1) Hebr. I: 3. Cf. Abreschius in *Paraphr. in epist. ad Hebraeos*; Griesbachius in *Programm. de mundo a Deo Patre condito per Filium*, ad Hebr. II: 2; in ejus *Opusc. Acad.* II. p. 186-207; uti et Bleckius, ad l.

2) Tholuck ad Hebr. I: 2: »Die Idee," inquit, »welche *κληρονόμος* »ausdrückt, ist die eines absoluten Repraesentanten der Gottheit. »Faktisch tritt Christus in diesen Zustand ein, wenn das Erlösungs»werk an der Menschheit subjectiv seine volle Frucht gebracht ha»ben wird, Act. II: 34-36. Psalm II: 8. ——— Damit aber diese »Erlösers-Würde noch mehr hervortrete, knüpft der Verfasser durch »*καὶ* den neuen Gedanken an, dass derselbige, welcher seiner gött»lich-menschlichen Natur nach in der durch ihn zur Vollendung ge»führten Welt alles besitzen wird, auch schon Urheber von allem »gewesen ist, seiner Göttlichen Natur nach." Vid. et Heringa, *Kon. Waard.* p. 198, 199.

traditi, ratione habita, *tota* Ejus persona eaque indivulsa est consideranda; et tanquam *Θεανθρώπῳ divini imperii consortium* Patrem ipsi detulisse, idque quidem ob divinam Ejus naturam *pari jure ac majestate*, Hebr. I: 6 [1]), praeeunte s. Scriptura, sumendum est.

Vidimus ita de vi atque ambitu formulae *κάθου ἐκ δεξιῶν μου*, ratione habita gloriosi, quo Deus Christum ornavit, imperii. Addimus tantum, quoad hujus formulae originem, illam repetendam esse ex solo *Hebraeo* sermone, non vero mere *Graecam* eam habendam esse, uti nonnulli voluerunt; quibus acriter se opponit Ruhnkenius [2]), vehementer eos carpens, qui, quasi agmine facto, ad N. T. ex profanis scriptoribus illustrandum, convolarunt; idemque monens hac formula *eandem* majestatem *eandemque* potentiam, qua Pater ipse fruitur, Christo adscribi.

Jam ex iis, quae hucusque exposuimus, Psalmi verbis, Messiana hujus indoles egregie elucescere nobis videtur, eorumque sententiae patere absurditas, qui hîc non nisi terrestrem regem cogitandum velint. „Nam," recte monente Calvino, „utcumque David „vices Dei obierit et quasi Ejus personam sustinue„rit regnando, haec tamen longe inferior est pote„stas, quam ut ad dextrum usque Dei latus emineat. „Quum longe infra Angelos subsidat David, non „adeo celsam sedem occupat, ut secundus a Deo

1) Vid. Abreschius, ad h. l. egregie probans, hanc adorationem *Messiae* tribui, quippe υἱῷ etiam τοῦ Θεοῦ, eosque refutans, qui haec verba tempus ante Christi in terram adventum spectare contendunt.

2) Ann. laudd. mss. ad Act. II: 34.

„censeatur. Omnes enim coelos transcendere oportet „ut veniatur ad Dei dextram. Quare nemo in ea „vere et proprie sedere dicitur, nisi qui creaturas „omnes honoris gradu superat."

Nec minus porro ad nostram sententiam comprobandam faciunt insequentia Psalmi, a Petro allata verba; quibus imperii, favoris sui socio demandati, amplitudinem proposuisse fertur *Jehova*. Etenim, post sublime exordium, quo imperii atque honoris sui consortem Illum declarat, haec eloquentem inducit vates *Jehovam:*

Sect. 35.

Ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

Continuatam hîc observamus figuratam loquendi rationem, de regum orientalium more sumtam. Prouti enim fingitur *Jehova*, alto solio insidens, pedibusque subsellium premens, *Messiae*, partâ jam magnâ victoriâ, e terris in coelum reduci, honoris sui et imperii concedere partem, sedem in eodem illo solio, honorifice ad dextram suam Illi parans; sic vates Orientis more, ex quo qui altiori solo, sive throno insideant, pedibus subjectum habeant scabellum, exaltati etiam *Messiae*, in Dei throno insidentis, pedibus scabellum ejusmodi subjectum informat; et *Jehovam* inducit tale Ipsi pollicentem. At quale? Aureumne, vel eburneum? Minime; sed *hostes* ipsius scabelli loco Ipsi forent. Jam vero quum hostes pedibus alicujus supponi vel suppositi dicuntur, subjectio indicatur cum pleno in

eos dominio; atque sumta est haec dictio a victoribus, pede hostium devictorum colla prementibus [1]); consentientibus plerisque interpretibus, improbante autem Michaële [2]), qui respiciendum monet ad *Arcam Foederis*, pedibus *Messiae* subjectam, quamdiu a Dei dextra sederet; ita ut, semel hac sede ab eo relicta, Arcae loco, campos pedibus subjectos adspiceret, cadaveribus obtectos. Rejecta vero universa ejus de sessione ad Dei dextram super Arcam Foederis interpretatione, hoc quoque sponte cadit.

His vero difficiliora explicatu nos manent. Non levem nempe molestiam creat illud ἕως ἄν, Hebr. עַד, ratione habitâ prioris membri partis. Scilicet quaestio est, num indicent haec vocabula definitum quoddam tempus, *terminum ad quem*, ita ut sessio ad Dei dextram *eo* tantum *usque* Messiae concederetur, *dum* hostes subacti essent; an vero simpliciter significent, hostes, *Messiae* ad dextram Dei sedenti, subjectum iri. Dissentiunt valde hac in re interpretes; quorum sententias diversas refert Bergmannus, pag. 85 seqq. Ipse autem doctissimus hicce vir iis se adjungit, qui ultimam amplectuntur sententiam. Fatetur omnino particulam עַד vertendam esse *donec*, et *terminum temporis* statuere, „non vero ejus, quo Christi regnum „circumscribatur, sed ejus, quo hostes ejus non desi-

1) Notum est exemplum Saporis Persarum regis, Valeriani imperatoris dorso, cum in equum escenderet, abutentis, narrantibus Aurelio Vict. XXXII: 5; Lactantio, de *Morte Persarum*, 5; uti et Tamerlanis Bajazethum et Alexandri *III Pontificis* Fredericum Aënobarbum similiter tractantium.

2) *Crit. Colleg.* pag. 491-494.

„nant Ei resistere et prava contra Eum machinari;" insuper monens, hanc quaestionem non tantum e Grammaticis legibus esse dirimendam, dum res et ratio dicendi vetant statuere, particulam ἕως ponere terminum sessioni ad Dei dextram; adeoque uberiorem hujus rei dijudicationem magnam partem pendere ex interpretatione *Paulini* enunciati 1 Corinth. XV: 24-28; quem igitur locum copiose explicat, et cujus disquisitionis finis hic est: quod עַד et ἄχρις οὗ ita vertendum sint *donec*, ut ante utramque particulam assumatur ellipsis participii cujusdam, *exspectans*, *secure imperans*, aut simile quid, auctoritate Hebr. X: 13, ubi legitur: τὸ λοιπὸν ἐκδεχόμενος. Dubitat quidem ipse Vir doct., num haec sententia optima atque unice vera dicenda sit; sed meliorem se non videre candide profitetur. Neque nos ii sumus, qui tantorum virorum lites nos componere posse putemus, ac verum demum sensum proposituros. Attamen, quae nobis de hac quaestione videantur, hîc non apponere non licet. Itaque jam in antecessum monemus, eam nos amplecti sententiam, qua particula עַד omnino indicare censeatur *terminum*, *ad quem duraturum sit* Θεανθρώπου *regnum;* ita ut finem hujus regni involvat. Ad hanc opinionem tuendam nos ducit *tum* vis propria particulae עַד, *tum* N. T. de Christi imperio doctrina. *Primum* igitur quoad laud. particulam, diserte hanc *terminum ad quem* intendere optimi quique Grammatici contendunt, inter quos Winerus [1]); cujus quidem particulae vim

1) *Tum* in *Lex.* ad vocem עַד, ubi cum Fritzschio (*Comment. in Matth.* pag. 53 seqq.) existimat, errore niti Glassii, Gesenii,

quum probe sentirent secus judicantes, varia ratione nodum solvere tentarunt; *sive* in usum vocato *donec* continuativo, *sive* alio quocumque modo; *sive*, uti Bergmannus, assumenda ellipsi participii cujusdam. Quae omnia tentamina ostendere nobis videntur, ipsos illos particulae vim probe persensisse, prouti Bergmannus candide profitetur [1]). At quonam igitur jure hîc significari contendat *tempus, quo hostes non desinunt Messiae resistere*, non intelligitur, nisi ex eo, quod doct. Vir antea monuerat, non tantum ex Grammaticorum legibus quaestionem esse dirimendam, quum *res* et *ratio dicendi* vetant statuere, laud. particulam ponere terminum sessioni ad Dei dextram. Stat autem particulae vis, atque hanc nulla de causa infringere licet, nisi vaga fiat omnis interpretatio. Ex vi igitur hujus particulae, hoc etiam loco ipsi tribuenda, sequitur, hîc sermonem esse de eo *temporis puncto, quousque sessio ad Dei dextram duratura est.*

Et tantum, *secundo*, abest, ut rei natura et dicendi ratio vetent hanc particulae propriam vim urgere, etiam *Θεανθρώπου* sessionis ad Dei dextram ratione habita, ut contra, nostro quidem, salvo meliori judicio, optime illud congruere videatur cum omni de

---

Wettii opinionem, quâ עַד et עַד־אֲשֶׁר passim, ubi de re futura agitur, ita collocentur, ut non certum temporis terminum, sed tempus etiam quod excurrit, significent. Quid? quod Psalmi CX: 1 sensus ipsi videtur hujusmodi esse: »Regnabis donec omnes omnino hostes manus dederint; non exues regiam dignitatem, priusquam de hostibus tuis triumphum egeris;" — *tum* in *Grammatik*, pag. 272 seqq., ubi de formula ἕως ἄν, etc. agit.

1) pag. 86, 87, 93, 95.

Christi imperio doctrina, in s. libris obvia. Scilicet, pace viri doct. animadvertere liceat, ipsum non rite distinxisse nobis videri inter *υἱὸν τοῦ Θεοῦ*, Hujusque vi divinae naturae potestatem, et inter *Θεάνθρωπον* hujusque imperium a Patre ipsi, ut tali, delatum. Etenim, tanquam *υἱὸς τοῦ Θεοῦ* nunquam non regnavit, nunquam non regnaturus est. At aliud quid est *Θεανθρώπου* imperium. Hoc *initium* cepit, atque ideo *finem* etiam habere potest. Initium cepit eo tempore, quo in coelum sublatus est divinus Sospitator [1]). Tanquam *Θεάνθρωπος* regnum a Patre accepit, rector, dominus ac servator constitutus est, ad dextram Dei collocatus. Hoc sensu Pater *per Eum* regnat, imo ipse hactenus *Patri subest.* Atque hoc *Θεανθρώπου*, hoc *Messiaticum* imperium gerit, hoc Pater ipsi concessit ad tempus; tamdiu scilicet, quam opus erit ad Patris consilia exsequenda; adeoque ad tempus illud, quo omnes adversarii subjecti erunt, quorum ultimus est *mors*, 1 Corinth. XV: 24-34. Quod tempus cum venerit, regnum Patri tradet, et tanquam *Θεάνθρωπος* Patri se submissurus est, ut Deus sit *τὰ πάντα ἐν πᾶσιν*, ut regni consummati laus ad Deum, jam sine Christi Mediatoris interventu regnantem, perveniat, omnesque per Christum liberati, Deo toto fruantur. Quod quidem minime pugnare censendum est cum iis locis, quibus Christo *aeternum* regnum adscribitur. Nam suorum rex aeternus manet, summa semper sanctitate et honore colendus, cuique liberati per Eum nunquam non obsequium sunt tributuri. His

1) Quod ipse Bergmannus recte monet pag. 84.

igitur, quae cum N. T. de Christi imperio doctrina nobis conspirare videntur, observatis, intelligitur, quo sensu *sessio ad Dei dextram* olim *finem* habitura sit; et egregie patet, rei naturam nihil obstare, quominus omni sua vi sumatur particula עַד, ἕως ἄν. Nam finem habebit sessio ad Dei dextram, Θεανθρώπου imperium, simulac omnes Messiani regni hostes subjecti erunt; quamquam honoris et imperii divini nunquam non consors fuit eritque υἱὸς τοῦ Θεοῦ; qua tantum divinae naturae communione *Messiae*, Θεανθρώπῳ, honos ille et imperium concedi potuit. Haec biblica esse doctrina de Christi persona et imperio Calvino quoque aliisque multis Theologis summis visa est. Quorum Calvinus ad 1 Corinth. XV: 25: „Oportet," inquit, „id fieri" (hostes subigi ab exaltato Christo) „quia Pater hac conditione Eum ad dextram suam collocavit; ne imperio, quod accepit, ante „decedat, quam illis in potestatem redactis;" et ad sect. 27: „Quomodo haec convenient, Regni ejus „non erit finis et Ipse quoque subjicietur? *Primo* notandum est, omnem potestatem Christo fuisse tra„ditam, quatenus manifestatus fuit in carne; non con„veniret quidem nudo homini tanta majestas. — *Deinde* „sic constitutum esse Dominum et summum Regem, ut „in gubernando mundo sit tanquam Patris vicarius. — „Deum quidem agnoscimus rectorem, sed in facie homi„nis Christi. Tunc autem restituet Christus quod „accepit regnum ut perfecte adhaereamus Deo. Neque „hoc modo regnum a se abdicabit, sed ab humanitate sua ad gloriosam divinitatem quodammodo „traducet: quia tunc patebit accessus, quo nunc

„infirmitas nostra nos arcet. Sic ergo Christus sub-„jicietur Patri: quia tunc remoto velo, palam cer-„nemus Deum in sua majestate regnantem; neque „amplius media erit Christi humanitas, quae nos ab „ulteriore Dei conspectu cohibeat." Sic de gravissimo hoc argumento sentiunt alii etiam magni viri [1]). Hac igitur sententiâ assumtâ ét propria particulae ἕως ἂν servatur vis, ét illa cum rei naturâ egregie conspirare animadvertitur. Sic etiam intelligitur, quo sensu inducatur *Jehova* loquens: „ἕως ἂν θῶ, donec *Ego* „posuerim." Nam si omnis haec *Jehovae* tributa oratio ad Θεανθρώπου habita fuerit, evanescit difficultas, ex eo orta, quod *Patri* haec hostium subactio adscribatur. Patris enim nomine cum regnet *Messias*, ipse Pater demandati imperii partes sustinere aeque dici potest, quippe *per Eum* regnans. Licet adeo sceptrum *Messiae* tradiderit, non tamen sceptrum suum derelinquit, sed

---

1) Cff. Bosveld ad 1 Cor. XV: 24-28, pag. 157-227; Heringa, *Kon. Waard.* pag, 190: »De Apostel, inquit, »zegt ons, dat na de »onderwerping van alles aan den *verheerlijkten Middelaar*, Hij zijn »bewind weder aan God den Vader zal overgeven en zich *in de be-»trekking, welke Hij tot dusverre bekleed had*, aan Hem onderwerpen;" coll. p. 192. — Hengstenberg, *Christol.* I. pag. 149: »Obgleich" inquit »zahlreiche und mächtige Feinde sich wider dich erheben, »so können sie doch nicht hindern, dass ich dich zum Theilnehmer »meiner Herrschaft mache, bis du sie durch die dir von mir ver-»liehene Macht gänzlich vernichtet hast."— Tholuck ad Hebr. X: 13, »Der Gründgedanke von 1 Cer. XV: 24-28 ist der: Einst wird die »βασιλεία Christi aufhören. Diess kann jedoch nur dann geschehen, »wenn alle ἐχθροὶ werden unterworfen seyn." Conferri etiam meretur disputatio plur. Ven. M. A. Jentink, de hoc loco, inserta Diario a doct. van Willes edito I. pag. 209-249.

quasi per Illius manum gubernat, hostes Filii sui huic subjiciens [1]).

Sedebit igitur Messias ad Dei dextram, ad illud usque tempus, quo omnes hostes, morte non exceptâ, scabelli pedum instar, Ipsi subjecti erunt. His autem subjectis, *Messiaticum* regimen deponet, quippe quod tunc Patris consilium exsecutus fuerit; et hic non diutius, interveniente Christo aget, sed Ipse se Dominum atque Deum praestabit, omnia in omnes beneficia Ipse conferet, *τὰ πάντα ἐν πᾶσιν* erit.

Quid de difficillima proposita quaestione nobis videretur, candide professi sumus. Ab uberiore autem hujus rei expositione in praesentia abstinemus, verentes ne jam justo longiores fuerimus. Sed argumenti gravitas breviores esse nos non sivit. Patet autem facillime, quam latum sit imperium, quod *Jehova* huic regi commiserit; ad quod animadvertens Calvinus, jure exinde novum argumentum haurit ad probandum, nec Davidem, nec alium quendam ter-

---

1) Bergmannus ad 1 Corinth. XV: 25, pag. 89, monet ὑπό non referendum esse ad *Deum*, sed ad Christum, quam interpretationem Psalmi nostri verbis illustrari dicit; quomodo autem non video. Namque diserte nostro Psalmo verbis *ἕως ἂν θῶ Jehova* hostes subigere inducitur. Sic et clar. Heringa (*Kon. Waard.* pag. 187, in nota), videtur, jure provocanti ad sect. 27 et 28; de qua sectione 27 ipse videatur Bergmannus pag. 90, ubi de *Patre* omnino sermonem esse dicit in laud. sect. Ceterum conf. Knappius, l. l. pag. 240. Wettius ad 1 Cor XV; 25, item Christum ad ὑπό supplendum censet; attamen hic, prudentius agens, non provocat ad Psalmi verba, quippe quae probabiliter Apostolus non respexerit! sed ad contextum. Addimus hic, ipsum ad sect. 28, ubi de regno a Christo Patri reddendo agit, post allatas varias hac de re sententias monere: »Besser ist die Beschränkung auf das Mittlerambt Christi."

restrem regem hîc innui posse, sed *Messiam* unice. „Certe," inquit, „nego tamdiu regnasse Davidem, „donec subacti essent omnes ejus hostes. Multas qui„dem insignes victorias obtinuerat; sed multum abest „quin omnes suos hostes domuerit. Quosdam ex vi„cinis populis sibi fecit tributarios, quosdam profliga„vit aut delevit: sed quid hoc ad universitatem?" [1]).

Sic sublimi Psalmi, quatenus ab Apostolo affertur, argumento exposito, satis superque elucescere *Messianam* ejus indolem credimus. Profecto, prima jam ejus, quam interpretati sumus, sectio, alium regem, quam *Messiam* cogitare diserte vetat; nec minus luculenter reliqua Psalmi pars *Messianam* illam indolem conspiciendam praebet, quod inter alios multos doct. Bergmannus ostendere conatur, illudque quidem egregia ratione. Sic igitur ipsa Psalmi verba auctoritatem Apostoli mirifice confirmant, illumque nobis exhibent ejusdem Spiritus luce collustratum, qui in Prophetis operans *προεμαρτύρησε τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας*, 1 Petr. I: 11. Stat igitur Apostolicae interpretationis veritas, quae vel ipsius Sospitatoris auctoritate est confirmata, „qui quum de se „hunc Psalmum compositum fuisse testetur, non ali„unde quidem nobis, quam ex Ejus ore petenda est „certitudo; verum ut cesset Ejus auctoritas atque etiam „Apostoli testimonium, *Psalmus ipse* clamat se non „aliam expositionem admittere." Haec adeo Calvinus, ceteroquin parcus et prudens in Messiana V. F.

1) Ad Act. II: 35.

locorum interpretatione. Et vere profecto ita loquitur summus hicce vir. Nam simulac *Messiam* celebrari sumas, tantum abest, ut coacta exsistat interpretatio, aut contorta, ut contra omnia facili et aequabili fluxu decurrant, quemadmodum vidimus. Quodsi autem regem quendam terrestrem hîc intelligendum dicis, omnia sunt nimis sublimia ac hyperbolarum plena, multoque, quam verba sonant, remissius accipienda; quid? quod tunc nonnulla ejus sunt generis, ut non nisi contorte et repugnantibus grammaticis dictionisque poëticae legibus, probabili sensu exponi queant, ac, nisi falsa dicere malis, certe turpissimae adulationis indolem spirent. Hic e coelo in terram deferimur, illic e terra in coelum scandimus [1]).

Jure igitur multi principes Psalmorum interpretes in eo consentiunt, non tantum Messianum vaticinium Psalmo CX editum esse, sed vaticinium vere praecipuum, quod omnibus fere reliquis lucem praebeat [2]). Jure igitur hoc vaticinium ad suam rem probandam adducit Apostolus, et ex hoc praecipue argumentatur,

---

1) Sic fere Bergmannus.

2) Cff. quae supra, p. 63, notâ, attulimus Michaëlis et Starcki de hoc Psalmo effata. Juvat hîc Chrysostomi memorare sententiam de iis, qui Messianam Psalmi indolem negant. Hos esse dicit: καθάπερ οἱ μεθύοντες καὶ μηδὲν σύμφωνον φθεγγόμενοι, μᾶλλον δὲ καθάπερ οἱ ἐν σκότῳ βαδίζοντες καὶ προσκράσσοντες ἀλλήλους· — Herderus, *Briefe* I. p. 231, Psalmi sublimatem sic celebrat: »Der zweite Psalm," inquit, »steht »diesem genau zur Seite und führt denselben Inhalt, fast auf eben »dem Gange, nur milder und ruhiger aus. Jener ist die drohende »Einleitung zu diesem blutigen Sieges-Hymnus, ein ferner prächti»ger Donner vor der Zerschmetterung; dieser schildert die Zerschmet»terung selbst."

ut ostendat, nil mirum continere suam assertionem de Jesu ὑψώσει, quippe quae necessario in Christum cadere deberet ex editis vaticiniis; quod igitur vaticinium cum in Jesu *Nazareni* persona eventum habuisset, de Messiatica Ejus dignitate omnibus plane constare debebat. Efficacissima omnino ratione scopum attingere studebat Apostolus, *tum* hoc vaticinio pro exaltati Jesu potestate afferendo; *tum* omni praecedenti sua oratione, qua Jesum promissum esse *Messiam* demonstrare sibi proposuerat; cujus potestatis mirifica, quae viderant et audiverant, indicia erant et documenta. Jam quis non videt, post recte adeo institutam demonstrationem, suo plane jure exclamasse Apostolum, quae explicanda restant, sect. 36.

ORATIONIS CONCLUSIO *Sect.* 36.

Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ, ὅτι Κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε, τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε·

Morus aliique illud οὖν tantum ad sectt. 34-36 referunt, cui sententiae minime calculum adjicere possumus, toti facientes cum Wettio et Meyero, ad omnem praecedentem orationem particulam illam referentibus; cum luce clarius haec sectio totius orationis conclusionem involvat, et *thema* haberi potest, quod probandum fuerat Apostolo, imo jam probatum orationis fini cum emphasi ab ipso apponitur. Ex omnibus igitur, quae de Jesu *Nazareno* monuerat: in hunc eventum habuisse V. T. de *Messia* vaticinia, hujusque Messiaticae dignitatis Pentecostalis diei mi-

rabilia primum post exaltationem documentum habenda esse [1]), jure concludit Apostolus: *ἀσφαλῶς κ. τ. λ. Ἀσφαλῶς*, *certo, secure*, ita ut omne dubium tollatur omnisque ansa praecidatur. Certo igitur certius non *confidat*, sed *cognoscat*, pro re explorata habeat *πᾶς οἶκος Ἰσραήλ*. Abest hîc particulus, quia *οἶκος Ἰσραὴλ* naturam nominis proprii assumsit, ex V. T. dicendi ratione, quocirca etiam apud LXX saepe, omisso articulo, occurrit, uti Judith VIII: 6 [2]); *οἶκος Ἰσραὴλ*, *domus Israëlis*, i. e. *natio Israëlitica*, considerata natione, tanquam familia Patris *Israël*, בֵּית יִשְׂרָאֵל [3]). Consulto ita loqui Apostolum patet. Scilicet, qui genuini Jacobi filii, veri nominis *Israëlitae* haberi vellent, promissum exspectantes, his jam sciendum erat atque confitendum, hunc Jesum *Messiam* esse, non alium; sciendum ac confitendum *ὅτι Κύριον καὶ Χριστὸν κ. τ. λ. Κύριον*, *Dominum*, Jesum constitutum esse primum monet Apostolus, quia Judaei Conservatorem hunc in finem ungendum esse credebant, ut caput

---

1) *Primum post exaltationem documentum* dicimus; plane assentientes censori Palmii *Leerredenen* V, in Diario, *Godgel. Bijdragen*, 1815, pag. 237 seqq., contra celeb. virum, ad hujus sermonem de Act. II: 36, monenti: 1° Jesu resurrectionem et adscensionem per se omnino probare Messianam dignitatem et 2° mirabilia Pentecostalis diei, quoad eorum vim illius dignitatis probandae, prorsus adaequanda esse cuicunque miraculo, quod Jesu nomine post hujus exaltationem, perpetraverint Apostoli.

2) Vid. Winer *Gramm.*, pag. 110. Eadem formula invenitur 1 Sam. VII: 2, 3. Nehem. IV: 16.

3) Ruhnkenius ad haec verba monet: »Apud Graecos οἶκος ponitur pro *familia;* sed apud orientales pro *tota gente;* hinc οἶκος Ἰσραὴλ: *gens Israëlitica.*"

esset Ecclesiae, atque Illi gubernandi potestas rerumque omnium summa darentur; sub notione *βασιλέως* seu Regis, *τὸν Χριστὸν* concipiebant, unde vel המשיח vel מלך המשיח, *βασιλεὺς ὁ Χριστὸς* promiscue usurpabant, vel uti Daniel habet, IX: 25, משיח נגיד, *Messias, Princeps, Dux, Imperator.* Talem *Dominum* factum esse Jesum *Nazarenum* declarat Apostolus, eundemque illum constitutum esse Christum, regem *κατ' ἐξοχήν* unctum; quippe in quem V. T. vaticinia rata facta essent, cujusque Messiaticae dignitatis Joëlis vaticinii impletio luculentum hoc die testimonium praeberet, quandoquidem illud, nonnisi *Messia* dato, impleri poterat. *Factum* autem illum dicit *Κύριον καὶ Χριστὸν* a Deo, *ἐποίησεν ὁ Θεός*; etenim decrevit Deus *βασιλείαν Θεανθρώπῳ*; in hujus possessionem illum publice introduxit; regiam dignitatem in ipsum contulit, verbo *Messiam* eum constituit. Sed haec uberius exposuimus ad sectt. 33-35 [1].) Pronomen *αὐτὸν* minime redundat, uti Knoelius censet, tollens sic omnem verborum efficacitatem; sed mirabilem intendit vim, ratione habita insequentium: *τοῦτον τὸν Ἰησοῦν*, emphaticam epexegesin constituentium: „*Illum, ὁ Θεὸς Κύριον καὶ Χριστὸν ἐποίησε, Hunc* inquam Jesum, *ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε.*" Sic acerbissima cernitur antithesis. „Illum, Illum, quem *Deus* Dominum atque Christum constituit, hunc Jesum *vos* cruci affixistis." — Jam,

---

1) Wettius ad sect. 36: »ἐποίησε bezeichnet die Messianische Wurde Jesu als eine Gewordene." Cf. ejus *Bibl. Dogmatik*, § 284 et 286.

quantopere repetita haec criminis scelerati exprobatio animos et conscientias pungere deberet, nemo non sentit; observans eo majorem vehementiam nunc habere accusationem, quum jam Christum Dominum, Ecclesiae praesidem, Spiritûsque s. datorem eundem Jesum sciant; cujus igitur caedes non crudelitatis tantum scelerisque plena erat, verum immanis adversus Deum perfidiae, sacrilegii et ingratitudinis, imo apostasiae testimonium exhibebat.

QUAESTIONES.

I.

Oratio, Act. II: 14-36 memorata, a Petro Apostolo habita fuit.

II.

Est illa magni momenti ad Religionis Christianae veritatem comprobandam et vindicandam.

III.

Verba *τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν* Act. II: 30 retinenda videntur.

IV.

Jure pro divina Religionis Christianae origine argumentum petitur ex temporum, quibus Christus prodiit, ratione.

V.

Christus *ἀναμάρτητος* fuit.

VI.

Non facimus cum illis, qui in Christo nihil tam excelsum aut sublime esse statuunt, quin nobis quoque, per fidem Ipsi junctis, tribui possit, et in S. C. diserte tribuatur.

VII.

Universae s. Scripturae institutioni repugnat sententia, qua imperii, quod Christo tribuitur, natura, ad unam Ejus doctrinae vim referatur, non vero ad imperium proprie sic dictum.

VIII.

Perverse Möhler, (Symbol. 5e Aufl. p. 7), statuit: „Luther, Zwingli und Calvin, sind die „Schöpfer der unter den Ihrigen geltenden Ansichten."

IX.

Concilia Oecumenica, parte priori saec. XV habita, imminutae jam, a Bonifacii inde aetate, auctoritatis Pontificiae indicia sunt.

X.

Nullam ejusmodi *formam externam* Ecclesiae Christianae, his in terris, praescripserunt Jesus vel Apostoli Ejus, cui illa Ecclesia omnibus locis, omnibusque temporibus obstricta sit.

XI.

Arctissimum intercedit vinculum inter Theologiam *Dogmaticam* et *Moralem*.

XII.

Quamquam vita Christiana minime colenda est felicitatis *causa*, admiranda tamen est Dei sapientia, quod illius vitae colendae incitamenta adjunxerit, ex felicitatis *spe* petita.

XIII.

Veram orationis s. Christianae indolem recte adumbrat Hüffell, *Handb. d. Pract. Theol.* I. § 34), scribens: „Die Predigt ist eine Rede, welche gleichmässige Erleuchtung des Verstandes, Erregung des Gefühls und Bestimmung des Willens durch das Christliche zur Aufgabe hat."

XIV.

Doctrinae Christianae interpretem accommodare se oportet ad auditorum intelligentiam, eorum vero erroribus favere minime ei licet.

XV.

Summo jure cl. Clarisse, (*Encycl. Theol.* § 99, p. 587, Ed. 2) contendit, artem Catecheticam èt utilissimam esse èt dignissimam, in quam magno studio futurus Theologus incumbat.